



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos


Complectens Psalmos à 76 ad 100

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>


Dusseldorpii, 1764


VD18 15558428-001

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53423](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-53423)



Th 3472





EXPLANATIO
IN
PSALMOS
AUTHORE
ROBERTO BELLARMINO,
EX
SOCIETATE JESU,
S.R.E. Tit. S. MARIAE in Via.
Presbytero Cardinali.

In
Compendium redacta.
&
D. D. Sodalibus Marianis
in Strenam oblata.

Ab
alio ejusdem Societatis Sacerdote.


Pars. II.

Complectens Psalmos à 26 ad 50.



COLONIÆ,
Typis CHRISTIANI ROMMERSKIRCHEN,
in platea Saxonica. 1761.

*Colleg. S. J.
Paderb.
1761*



(0)

PSALMUS LXXVI.

Titulus : *In finem pro Idithun, Psalmus Asaph.*

Probabilius per Idithun intelligitur hic nomen unius è Principibus cantorum, sed instrumenti musici, vel certi generis modulationis, ad cuius formam Psalmus canendus esset. Hinc expositioni satis convenit phrasis Hebraica super Idithun.

Argumentum est oratio adversù tribulaciones : *Quæ sit autem tribulatio, de quâ Psalmus loquitur, non convenit inter Authores : alii intelligunt captivitatem Babylonicam ; alii persecutionem Antiochi tempore Machabaorum ; alii aliam, nobis incognitam tribulationem.* S. Aug. utilissimè exponit Psalmum de miseriâ humanâ generatim, ac presertim de eâ, quam sentiunt viri perfecti, qui dum anhelant ad patriam Celestem, molestissimè ferunt morae exilii & peregrinationis.

V. I. Voce mea ad Dominum clumavi, voce mea ad Deum, & intendit mihi.

Indicat anima viri sancti, quâm molestè fecerat moram, & pericula hujus peregrinationis. *Voce meâ proprio animæ desiderio pulsavi aures Dei.* Dicit; *ad Dominum, hebraicè ad Deum* : & repetit secundò *ad Deum*, quia vi-

A 2

debat

debat à nullâ re creatâ posse obtinēri, quod cu-
piebat, ideo transiliens omnia, ad ipsum Deum
accessit. Subdit fructum clamoris : *Et intendit
mibi, hebraicè, aures mihi præbuit.*

¶. 2. *In die tribulationis mea Deum exqui-
sivi, manibus meis nocte contra eum, Et non
sum deceptus.*

Declarat cur, & quomodo Deum quæsītūt,
& invenerit. Per diem tribulationis intellige
tempus hujus vitæ mortalis. Porro manibus
quærere Deum in nocte est per opera bona,
per obedientiam mandatorum, per vitæ puri-
tatem in hoc exilio caliginoso Deum quærere.
Addit. non sum deceptus : Testimonium enim
conscientiæ bonæ. & patientia in tribulationi-
bus, & frequentes victoriæ adversis tentatio-
nes efficiunt, ut anima experimento quodam
dulcedinem Dei sentiat, & testimonium Spi-
ritus in se habeat, quod sit Filius Dei.

¶. 3. *Rennit consolari anima mea, memor
fui Dei, Et delectatus sum : Et exercitatus
sum, Et defecit spiritus meus.*

Quia quærens Deum non fuit deceptus, re-
duxit deinceps solatia caduca, quæ decipiunt.
Rennit Ec. : quantumvis blandi entur carna-
les voluptates, noluit indè gaudere anima
mea, sciens eas secum trahere graviore stristi-
tias.

rias. Ne tamen sine omni solatio essem, me-
mor fui Dei, qui nul um decipit, & in quo
solidum gaudium reperitur. & delectatus sum.
Et post memoriam Dei, & voluptatem inde
haultam, exercitatus sum meditando de morto-
ribus exiliu, & de jucunditatibus patris, &
præ desiderio defecit spiritus meus.

¶. 4. Anticipaverunt vigilias oculi mei,
turbatus sum, & non sum locutus.

Declarat, quod dixerat; exercitatus sum:
noctu surgebam ad meditandum, antequam
excubizæ militares vigilare inciperent. Ex me-
ditatione periculorum hujus vitæ fui turbatus,
nec fui ausus aliquid loqui, sciens, Judicia Dei
esse justissima, quamvis occulta.

¶. 5. Cogitavi dies antiquos, & annos aet-
ernos in mente habui.

Ecce, quid meditaretur, quando prævenie-
bat vigilias, cogitavi dies hujus vitæ tempo-
ralis à principio usque ad finem, quæque in iis
habemus, & agimus; & simul cogitavi annos
aeternos vitæ futuræ, quæque in iis habebimus,
& agemus. Digna cogitatio, quæ totas noctes
mentem occupet.

¶. 6. Et meditatus sum nocte cum corde
meo, & exercitabar, & scopebam spiritum
meum.

Dicit idem aliis verbis . & inculcat . Consumpsi integras noctes mecum ipse colloquendo , non ore , sed corde ; & mecum ipse cogitando exercitabar ; & hoc modo quasi scopis cogitationum versabam huc , atque illuc spiritum meum .

¶ . 7 . Nunquid in æternum projiciet Deus ? aut non apponet , ut complacitior sit adhuc ?

¶ . 8 . Aut in finem misericordiam suam abscedet , à generatione in generationem ?

¶ . 9 . Aut obliviscetur misereri Deus ? aut continebit in ira sua misericordias suas ?

Hæc est meditatio & agitatio mentis , in quâ no[n] exercebatur . Interrogationibus his contrarium sensum intendit , fore scilicet , ut Deus tot hominum peccatorum , Judæorum , gentium misereatur &c. Nunquid Deus tantam multitudinem hominum in æternum projiciet à misericordiâ suâ , & in infidelitate , & cæcitate dimittet ? Non projiciet ; sed tempore suo visitabit . Nunquid Deus non addet aliquando ad iram suam misericordiam suam , ut incipiat sibi complacere in gentibus , quas nunc odio prosequi videtur ? Addet omnino . Nunquid removebit misericordiam suam ab hominibus in æternum ? non removebit ; non obliviscebit &c. ; non continebit &c. Facilius est Deo iram ,

iram, quam misericordiam suam continere: licet enim justè irascatur in impios; in ipsâ tamen irâ non continet, sed effundit misericordiam, quæ iram mitigeret.

¶. 10. *Et dixi, nunc cœpi: hac mutatio dextera Excelsi.*

Nunc incepi respirare, postquam meditando, & vigilando, Deo revelante, cognovi, misericordiam Domini effundendam super genus humanum. Hæc mutatio, quam prævideo, & prædico, iræ Divinæ in misericordiam; iniquitatis hominum in justitiam; captivitatis in redemptionem; pœnæ in gloriam, mutatio est admirabilis, quam nemo poterat efficere, nisi dextera Excelsi, quæ Christus est.

¶. 11. *Memor fui operum Domini, quia memor ero ab initio mirabilium tuorum.*

¶. 12. *Et meditabor in omnibus operibus tuis, & in adinventionibus tuis exercebor*

Respirans jam in spem futuræ redēptionis ait: antea quidem memori fui aliquorum operum, quæ fecit Deus in Ægypto coram Patribus nostris: sed (ponit quia hebraicè aliquando pro sed) nunc, ô Domine, memor ero ab initio Mundi omnium mirabilium tuorum, considerans opera justitiæ, & misericordiæ; potentiæ, & sapientiæ; naturæ, & gratiæ: &

mente revolvam, ac mirabor arcana consilia
curandi genus humanum, quæ Sapientia tua
adinvenerit.

¶. 13. Deus in Sancto viatua, quis Deus
magnus, sicut Deus noster; tu es Deus, qui facis
mirabilia.

Incipit laudare opera Dei; & dicit primò ge-
neratim: A quo tua, Deus, per quam ad nos ve-
luti exis, in sanctitate efficitur: nihil enim agis,
quod non rectum, & justum sit. Nec solum
Deus noster sanctus est, & sancta via ejus, sed
etiam magnus, & magna opera ejus, imò &
mirabilia ob sapientiæ profunditatem, quæ in
eis cernitur.

¶. 14. Notam fecisti in populis virtutem
tuam: redemisti in brachio tuo populum tuum,
filios Jacob, & Joseph.

Descendit ad particulare opus Dei mag-
num, & mirabile. Potentiam tuam manife-
stasti Ägyptiis, & Gentibus, quæ audierunt
plagas Ägypti; quando; non alieno auxilio,
sed propriâ tuâ virtute, per multa signa, &
prodigia, populum tuum, qui constat ex filiis
Jacob, & Joseph. liberasti à miserâ servitute.

Spiritualiter Deus notam fecit potentiam in
populis omnium gentium, quia redemit ex
omnibus gentibus populum suum à tyrannide

Dia-

Diaboli, in brachia suo, quod est Christus.

Vide Isa. 53. v. 1.

v. 15. Viderunt te aqua Deus, viderunt te
aqua, Et timuerunt, Et turbata sunt abyssi.

Scissionem Maris rubri poëticè describit,
tribuens aquis sensum, quasi ob timorem præ-
sentiæ Dei aquæ recesserint, & turbatae non
solum in superficie, sed & in imo profundo.

Spiritualiter aquæ populos significant, juxta
Apoc. 13. v. 15. Aquæ, Populi gentium, quan-
do liberavit populum suum Deus, eum vide-
runt, scil. per fidem, & timuerunt agnos-
centes peccata sua, & judicia Dei : præcipue
timuerunt Abyssi, majores in gentibus, quia
per fidem agnoverunt Judicia Dei esse abyssum
multam, & Potentes potenter tormenta pas-
suros. Lege Act. Apost. C. 24.

v. 16. Multitudo sonitus aquarum, vocem
dederunt nubes.

v. 17. Etenim sagitta tua transiunt, vox
sonitus tui in reta.

Describit nunc reversionem maris, & tem-
pestatem ad obruendos Ægyptios, quod fuit
etiam opus mirabile ejusdem Dei. Maximus
sonitus, & fremitus aquarum postea successit,
cum, jubente te Deo, aquæ maris, quæ stet-
rant instar murorum, dum transiret populus

A 5

Dei,

Dei, magno impetu cadentes submerserunt
Ægyptios : quando etiam sagittæ tuæ cælestes,
h. e. fulmina discurrentia transibant super eos,
Et vox tonitruit i super rotas curruum Pharaonis,
eas subvertebat, & in profundum dejiciebat.

Spiritualiter sonitus aquatum est confessio
populorum ; vox nubium est vox Prædicato-
rum Evangelij ; fulmina & tonitrua sunt
probitas vitæ, & miracula, quibus veritas fidei
confirmatur. Illud, vox tonitruis in rota, pul-
chriè exponit S. Hieron., qui notat vocem
tonitruis Evangelici tunc valde commovere po-
pulos, si est in rotâ, h. e. in homine planè spi-
rituali, & contemptore rerum terrenarum,
qui terram vix tangat, & transeat, quomodo
currens rota in puncto terram contingit, & mox
deserit, & ad altiora defertur.

¶. 18. Illuxerunt coruscationes tue orbi
terre, commota est, Et contremuit terra.

Hæ coruscationes, hæc signa, hæc miracula
illuxerunt non solis Ægyptiis, & Judæis, sed
orbi terrarum, longè, latèque nota facta sunt;
& ideo habitantes in terrâ perturbati sunt, &
populum Israeliticum formidare cœperunt.
Spiritualiter intellige idem, quod Ps. 18. ¶. 4.
dicatum est.

¶. 19.

¶. 19. *In mari via tua, & semita tua in aquis multis, & vestigia tua non cognoscentur.*

Hic aperte describit transitum filiorum Israël per mare. In mari novo, & insolito modo invenisti populo tuo viam; & semitam fecisti eidem populo inter aquas multas, & hoc tam admirabili ratione, ut nullus deinceps vestigia tua, & eandem viam invenire potuerit.

Spiritualiter intellige, opera Dei non solum esse admirabilia; sed etiam investigabilia: sicut via in mari in vestigabilis est, quia nulla vestigia in eâ relinquuntur.

¶. 20. *Deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moysi, & Aaron.*

Ecce finem mirabilium Dei in Aegypto. Magnâ facilitate, & caritate, indefessâ providentiâ deduxisti per desertum, & usque ad promissionis terram, quasi ad pascua uberrima, populum tuum, sub potestate & regimine duorum optimorum Principum, Moysi, & Aaron.

Spiritualiter admonemur, eos, qui ad Cælestem Patriam per venturi sunt, deducendos esse, sicut oves, in manu Moysi, & Aaron, sive Superiorum Ecclesiasticorum, & civilium: ita ut sint mites, & patientes, sicut oves in medio luporum.

PSAL-

PSALMUS LXXVII.

Titulus: *Intellectus Asaph.*

Argumentum est docere populum beneficia Dei, & ingratitudinem veterum Iraelitarum, ut eorum paenit territi, Dei Legem sequantur potius, quam exempla majorum. Insuper David adumbrat Regnum Christi: hoc indicant v. 2. nomina parabolarum, & propositionum; hoc mones Titulus, intellectus Asaph, ut nimirum Asaph, cui Psalmus cantandus dabatur, intelligeret, & alios intelligere ficeret mysterium futuri Messiae.

V. 1. *Attendite populo meus Legem meam, inclinate aurem vestram in verba oris mei.*

Hortaturus Populum longissimo sermone, capiat attentionem, ostendens, se utilia, & magna locuturum. *Attendite, inclinate, item Legem, Verba oris mei* hic idem sunt. Porro *inclinare aurem tuam*, si dicitur populo, significat obedienter, & humiliter audire; si dicitur Deo, significat clementer, & misericorditer audire.

V. 2. *Aperians in Parabolis os meum, legnar propositiones ab initio.*

Ideo petit attentè, & humiliter audiri, quia loquetur parabolas, seu similitudines; & propositiones, seu enigmata. Profetam sententias,

tias, quæ fuerunt absconditæ, & quasi ænigmata ab initio mundi: Mysteria enim Christi eis semper prædicta, & adumbrata, tamen velata erant, & paucissimis aperte revelata.

¶. 3. *Quanta audivimus, & cognovimus ea: & Patres nostri narraverunt nobis.*

¶. 4. *Non sunt occultata à filiis eorum, in generatione altera.*

¶. 5. *Narrantes Landes Domini, & virtutes ejus, & mirabilia ejus, quæ fecit.*

Docet, historiam eorum, sub quibus tegebantur Mysteria abscondita à constitutione mundi, accepisse te à Patribus, & hos à Majoribus suis. NB. ¶. 4. cum parenthesi legendus est hoc modo: *Loquar, quanta, seu quæ audivimus, & cognovimus: quoniam Patres nostri narraverunt nobis, tum scriptis literis, tum ore proprio (non enim occulta esse voluerunt ea filiis suis, quos post se in generatione altera relinquebant) qui quidem Patres narrantes erant potentiam Dei admirabilem, & mirabilia opera, quæ fecit: ob quæ dignissimus est omni laude.*

¶. 6. *Et suscitavit Testimonium in Jacob, & Legem posuit in Israel.*

¶. 7. *Quanta mandavit Patribus nostris nota facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera.*

¶. 8.

¶. 8. *Fili, qui nascentur, & exurgent, & narrabunt filiis suis.*

Ex rebus à Deo gestis, quas à Patribus accepit, primo loco narrat, quod Deus dederit populo Israelicō legem, & mandata per Moysen; & utraque iussit tradi filiis à parentibus, & sic propagari ad posteros.

Illud *Et ¶. 1. potuisset omitti, quia nihil conjungit; & videtur additum ornatus gratiā, ut sēpe aliās. Per Testimonium intellige Legem, vide Ps. 18. ¶. 8. Illud suscitare Testimonium est Legem ponere.*

¶. 9. *Ut ponant in Deo spem suam, & non obliviscantur operum Dei, & mandata ejus exquirant.*

¶. 10. *Nefiant sicut Patres eorum, generatio prava, & exasperans,*

¶. 11. *Generatio, qua non direxit cor suum, & non est creditus cum Deo spiritus ejus.*

Ideo Deus legem dedit populo, & voluit posteris tradi, ut non sperarent in Idolis genium, sed in Deo vero, qui legem S. de Cælo illis dederat, non sinè prodigiis: ne obliviscerentur mirabilia Dei opera, quæ fecit liberando eos de servitute Pharaonis. Præterea ut sollicitè quærerent, quid vellet ab eis Deus, atque id opere implerent. Demum ut non imi-

tare-

tarentur majores ingratos, & infideles; qui in *Ægypto* ægrè crediderunt Moysi; egressi de *Ægypto*, sæpè defecerunt ab obedientiâ Moysi, & Dei, assiduè murmurantes, imò vitulos aureos adorantes. Illud v. 11. *Generatio* &c. significat, eos non habuisse cor directum firmiter ad Deum, sed ad varia auxilia respexisse, nec fidelem fuisse eorum spiritum cum Deo.

v. 12. *Fili Ephrem intendentem, & mittere arcum, conversi sunt in die belli.*

Per similitudinem explicat inconstantiam jam dictam. *Fili Ephrem*, h. e. Israelitæ similes fuerunt militibus, incipientibus præliari cum hostibus, & mox diuinito prælio, terga vertentibus. Nominatur tribus Ephraim p̄tæ aliis, tum quia erat numerosissima; tum, quia ut plurimum reprehenditur, ideo mala totius populi sub nomine Ephraim potius describuntur.

v. 13. *Non custodierunt Testamentum Dei, & in Lege ejus noluerunt ambulare.*

v. 14. *Et oblitis sunt beneficiorum ejus, & mirabilium ejus, que ostendit eis.*

v. 15. *Coram Patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti, in campo Taneos.*

Explicat, quod metaphoricè dixerat, Israelitas conversos fuisse retrorsum. Nam cùm pro

professi essent, se obedituros Deo, non servaverunt pactum, nec Legem Dei impleverunt, & citò obliti sunt beneficiorum Dei, & mirabilium operum, quæ Deus fecerat pro eis in Ægypto, & quidem palam in planicie Ægypti, cuius Regia dicitur Tanis; quæque à Patribus suis narrari audierant.

v. 16. *Interrupit mare, & perduxit eos, & statuit aquas, quasi in utre.*

v. 17. *Et deduxit eos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis.*

v. 18. *Interrupit petram in Eremo, & adagavit eos velut in abyso multa.*

v. 19. *Et deduxit aquam de petra, & deduxit tanquam flumina aquas.*

v. 20. *Et apposuerunt adhuc peccare ei, in iram excitaverunt Excelsum in inaquoso.*

Post facta mirabilia in Ægypto, iani alia describit facta in egressu, nempe divisionem matis rubri, ut transiret populus siccō vestigio: item post egressum, nempe columnam nubis, quæ præundo ostendebat iter per diem, & columnam ignis, quæ ostendebat iter per noctem; ac postea sitiensi populo eductas aquas de petrâ in maximâ copiâ, quasi petra ipsa in lacum profundissimum aquarum conversa esset. Addit verò David, post hæc omnia

mira-

mirabilia, populum incredulum iterum provocasse Deum ad iteram in deserto in aquosum ob aquae penuriam: quae iterum educta est de petra.

Illud *quasi in utre* ¶. 16. significat, Deum eam facilitate fecisse, ut mare confisteret, quae potest continere modicam aquam inclutam in utre, ne decidat in terram. Illud *in nube diei*, ¶. 17. significat in nube per diem: Græcorum enim Genitivus pro Ablativo ponitur quo ipsi carent.

¶. 21. *Et tentaverunt Deum in cordibus suis*, ut peterent escas animabus suis.

¶. 22. *Et male locuti sunt de Deo: dixerunt;* poterit Deus parare mensam in deserto?

¶. 23. *Quoniam percussit petram, & flaxerunt aqua, & torrentes inundaverunt.*

¶. 24. *Nunquid & panem poteris dare, aut parare mensam populo suo?*

¶. 25. *Ideo audivit Dominus, & distulit, & ignis accensus est in Jacob, & ira ascendit in Israel.*

¶. 26. *Quia non crediderunt in Deo, nec speraverunt in salutari ejus.*

¶. 27. *Et mandavit nubibus de super, & ianuas Celi aperuit.*

¶. 28. *Et pluit illis manna ad manducandum, & panem Celi dedit eis.*

¶. 29. Panem Angelorum manducavit homo, cibaria misit eis in abundantia.

¶. 30. Transtulit Austrum de Cælo, & induxit in virtute sua Africum.

¶. 31. Et pluit super eos sicut pulverem carnes, & sicut arenam maris volatilia pennata.

¶. 32. Et ceciderunt in medio castrorum eorum circa tabernacula eorum.

¶. 33. Et manducaverunt, & saturati sunt nimis: & desiderium eorum attulit eis, non sunt fraudati à desiderio suo.

Retulit beneficium aquæ è petrâ eductæ, & infidelitatem populi; iam transit ad beneficia panis, & carnis, & ad novam populi incredulitatem. Et tentaverunt &c. experiri voluerunt, an Deus verè esset omnipotens, & curam gereret populi sui: & ideo petierunt eas, quas anima ipsorum desiderabat, ut panes, & carnes; vide Exod. 10. & num. 11. Et male locuti sunt de Deo, dubitantes scil. an posset in deserto pascere populum suum, sicut potare potuerat. Et hæc pertinent ad secundam murmurationem, nam prior præcessit priori educationem aquæ, ut patet ex Exod. C. 16. & 17. Ideo audivit Dominus murmurationem, ex incredulitate procedentem, & distulit, h. e. longè fecit à se populum suum, removit à be-

ne-

nevolentia suâ; imò hanc iram convertit, & immisit ignem in castra, & multos occidit; vide num. 11. Et tamen voluit convincere populum infidelem, & demonstrare potentiam suam; & ideo mandavit nubibus &c. Hæc pertinent ad priorem murmurationem: manna enim datum est ante productionem aquæ ex petrâ. Manna dicitur panis de Cælo, quia ex Cælo aereo pluebat; & panis Angelorum, quia horum operâ, & ministerio siebat. Demum removit, &flare prohibuit Austrum, nempe Orientalem, sive Eutum, ut Africus, seu Lybicus adduceret coturnices ad castra Hebræorum in tantâ copiâ, quanta est copia pulvetis in littore maris.

v. 34. Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum; & ira Dei ascendit super eos.

v. 35. Et occidit pinguis eorum, & electos Israel impedivit.

v. 36. In omnibus his peccaverunt adhuc, & non crediderunt in mirabilibus ejus.

v. 37. Et defecerunt in vanitate dies eorum, & anni eorum cum festinatione.

v. 38. Cum occideret eos, quærebant eum, & revertebantur, & diluculo veniebant ad eum.

v. 39. Et rememorati sunt, quia Deus adiutor est eorum, & Deus excelsus redemptor eorum est.

¶. 40. Et dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentitisi sunt eiis inq. impunitatione

¶. 41. Cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento ejus.

Ostendit, Deum magno miraculo satisfisse desiderio Hebræorum, qui ostenderet potentiam suam sed non dñmisse impunitam infidelitatem, & contumaciam eorum. Adhuc esse & nondum consumpscrant coturnices, & Deus iratus occidit ex eis partem maximam ita ut locus ille appellaretur Sepulchra concupiscentie num. 11. Quomodo eos Deus occiderit, Scriptura non docet; sed credibile est, morbo aliquo ex nimia aviditate, & satutate comedientium exorto. Occidit autem Deus præcipue pingues & electos, h. e. magis deditos voluptatibus, & juventute, ac viribus robustiores: quos electos dicit impedios, quia moribus dejicit eos, & impedivit, ne a morte fugere possent, quamvis alioquin robustissimi essent. Hoc verò iis accidit, quia peccaverunt in Deum infidelitate suâ, & non credentes, mirabilia illa à Dei omnipotenti fieri, sed casu accidisse, ut coturnices ad eos deferrentur. Ideo morte puniti sunt tantâ velocitate, ut defecerint dies eorum in vanitate, h. e. velut sumus, aut

um-

umbra, quæ celerrimè transit, & vestigium nullum relinquit. Ipsi autem vùm flagellarentur à Deo, & morte afficerentur, redibant ad eorū, & quarebant adiutorium Dei, & diluculo, h. e. statim, cùm primùm flagellum sentire inciperent, veniebant supplices ad misericordiam Domini implorandam; & tunc ad memoriam revocabant beneficia Dei priora: sed non erat stabilis, & vera conversio eorum, sed metu extorta, & ficta: nam ore quidem amorem, & devotionem erga Deum profitebantur, sed mentiebantur, quia eorū eorum. &c.

¶. 42. Ipse autem est misericors, & propitius fiet peccatis eorum, & non disperdet eos.

¶. 43. Et abundavit, ut averteret iram suam, & non accendit omnem iram suam.

¶. 44. Et recordatus est, quia caro sunt, spiritus videntes, & non rediens.

¶. 45. Quoties exacerbaverunt eum in deserto? in iram concitaverunt eum in aquos? John 10:40

¶. 46. Et conversi sunt, & tentaverunt Deum, & sanctum Israel exacerbaverunt.

¶. 47. Non sunt recordati manus ejus, die quā redemis eos de manu tributantis.

Confert bonitatem Dei cum nequitia hominum, & ait, Deum quidem flagellasse eos, sed non tam severè, ut eorum peccata mereban-

tar. Nam propius erit peccatis eorum, & non disperdet omnino populum suum : sic ex numero eorum ; qui exierant ex Agypto, remanserunt Josue, & Caleb, qui figuram gerebant Electorum, qui salvi fient. Et licet tanta sit Iudaorum dispersio, promissio tamen impleta est in Apostolis, qui ex Hebreis erant. *Et abundavit, copiosè avertit iram suam, mulum remittendo de pœnâ promeritâ ; & sic avertit iram suam, quia non accedit omnem iram suam*, ut justè facere potuisset. *Et recordatus Ec. accessit ad rationem miserendi natura hominis post primum peccatum infirma, obnoxia carnibus concupiscentiis ; item spiritus vitalis, seu vita corporalis, quæ progrediendo consumitur, & mutabilis, atque instabilis est : nam quoties exacerbaverunt Ec. , concitaverunt Ec. instabilitate suâ, nempe jam promittendo fidem, & obedientiam ; jam contrâ obloquendo, & recalcitrando : nam conversi sunt à bono proposito, & promissis, & tentaverunt Deum, experiri volentes, an verè omnipotens esset : & sic exacerbaverunt Deum Israelis, qui solus propriè sanctus est, h. c. purus, inviolabilis : Dii enim gentium immundi Daemones sunt. Demum tanta fuit mutabilitas, & stultitia Hebræorum, ut statim obliti sint*

īg-

Signorum, ac prodigiorum maximorum, & plurimorum, quæ manus Dei fecit, cùm eos deserit virtute Ägyptiacâ liberaret.

¶. 48. Sicut posuit in Ägypto signa sua, & prodigia sua in campo Taneos.

¶. 49. Et convertit in sanguinem flumina eorum, & imbre eorum, ne biberent.

¶. 50. Misit in eos cynamyiam, & comedit eos; & ranam, & disperdidit eos.

¶. 51. Et dedit erugis fructus eorum, & labores eorum locustæ.

¶. 52. Et occidit in grandine vineas eorum, & moros eorum in pruina.

¶. 53. Et tradidit grandini jumenta eorum, & possessiones eorum igni.

¶. 54. Misit in eos iram indignationis sua, indignationem, & iram, & tribulationem: immissiones per Angelos malos.

¶. 55. Viam fecit semitaires sua: non percitat à morte animabus eorum, & jumenta eorum in morte conclusit.

¶. 56. Et percussit omne primogenitum in terra Ägypti: primitias omnis laboris eorum in tabernaculo Cham.

¶. 57. Et abstulit sicut oves populum suum, & perduxit eos tanquam gregem in deserto.

¶. 58, Et deduxit eos in spe, & non cimis-
trum, & immiscos eorum operuit mare.

Quæ prodigia ¶. 47, dixit generatim, his
¶. 48. describit, præcipua nimisrum, & or-
dine, quo sibi placuit; ceterum omnia narran-
tur Exod. a C. 7. ad 14. Non sunt recordati,
quæ madimodum statuerit Deus ingentia signa
potentiae suæ in Ægypto, & potissimum in
parte nobiliore Ægypti, ubi est Tanis Regia
Pharaonis. Et converit, h. c. quia convertit
in sanguinem flumina eorum, & imbræ Ec. : per
imbræ intellige non pluviam, quæ vix est in
Ægypto, sed aquam, seu iterum flumina, Misit
Cynomyiam, h. c. muscas caninas. Et dedit
erugini Ec. : grando enim cum igne fulgu-
rum, & fulminum descendebat, nec solùm
herbas; sed etiam jumenta perdebat. Misit in
eos Ec. generatim complectitur omnes alias
plagas, quas omiserat, ut ulcera, vesicas &c.
Misit iram, & indignationem, h. c. effectum
iræ, & furoris, qui est tribulatio. Per An-
gelos malos intellige vel Dæmones, vel Angelos
S., qui dicuntur mali ab effectu, quia puniunt,
quos Deus vult puniri. Viam fecit Ec.

Insignis metaphora est, quasi dicat Ira
Divina ultiōnem parans, detinebatur à divinâ
misericordiâ, ne usque ad mortem desœviret:
sed

sed tandem remoto obice misericordia, viam
aperuit ira sua, & non pepercit vitæ ipsorum
a morte: sed occidit omnia primogenita ho-
minum, & jumentorum, quæ erant primi-
tia laborum Ægyptiorum. Laborans scil. ho-
mines in educandis filiis suis, & jumentorum
iumentorum, unde labor primogenitus impensus di-
cebatur primus laborum. Illud. in tabernacu-
lo Cham significat in Ægypto, quam primò
inhabitavit, & possedit Cham, filius Noë. Et
abstulit Sc. Occidis primogenitus Ægyptiorum,
dedit Pharaon facultatem Hebreis abeundi ex
Ægypto. Exod. 12. Et iunc Deus eduxit po-
pulum suum ex Ægypto in desertum Arabiæ
duxit autem eos cum fiduciâ magnâ; & inimi-
cos eorum operuit mare, quæ fuit ultima plaga
Ægyptiorum, & finis captivitatis filiorum
Israël, ut habetur Exod. 14.

¶. 59. Et induxit eos in montem sanctifica-
tionis sue, montem, quem acquisivit dextera
ejus.

¶. 60. Et ejevit à facie eorum gentes, &
sorte divisa eis terram in funiculo distributio-
nem.

¶. 61. Et habitare fecit in tabernaculo eor-
um tribus Israël.

¶. 62. Et tentaverunt, & exacerbaverunt

B. S.

Deum

Deum excelsum, & testimonia ejus non custodierunt.

¶. 63. Et averterunt se, & non servaverunt pactum: quemadmodum Patres eorum, conversi sunt in arcum pravum.

¶. 64. In iram concitaverunt eum in collibus suis, & in sculptilibus suis ad emulationem cum provocaverunt.

Transit ad historiam libri Josue, & Judicum, atque ostendit, siuisse Hebreos introductos à Deo in terram promissionis, quam vocat montem sanctificationis sue, quia erat terra montosa, & quam Deus sibi ipse sanctificaverat, & dedicaverat, ut in eâ coleretur à populo suo: dicit etiam terram hanc acquisitam à Deo, quia Deus fecit evidenteribus miraculis, duce Josue, ut Israelites vincerent bello, & expellerent pristinos habitatores cultui idolorum addictos. Sed Hebrei, in terram promissionis introducti, non fuerunt meliores Patribus suis, qui in deserto perierant: nam & ipsi tentaverunt, & exacerbaverunt Deum, servientes idolis, & verum Dei cultum deserentes. Illud, conversi sunt in arcum pravum, significat eos imitatos esse arcum distortum, qui non jacit sagittas, quod jaciendae sunt, sed in aliam partem, ubi non oportebat. Sic Hebrei

brai prostritebant obsecrantiam legis Dei ; vi-
debantur sagittas operum suorum dirigere ad
cultum veri Dei ; sed interim sacrificabant Diis
alienis. In iram concitaverunt Sc. nam in ex-
cellis collibus, praesertim frondosis colloca-
bant altaria Idolorum, ibique eis sacrifica-
bant.

¶. 65. Audivit Deus, & sprevit, & ad ni-
hilum rededit valde Israël.

¶. 66. Et repulit tabernaculum Silo, taber-
naculum suum, ubi habitavit in hominibus.

¶. 67. Et tradidit in captivitatem virtu-
tene eorum, & pulchritudinem eorum in manus
nimicorum.

¶. 68. Et conclusit in gladio populum suum,
& hereditatem suam sprevit.

¶. 69. Tuves eorum comedit ignis, & vir-
gines eorum non sunt lamentatae.

¶. 70. Sacerdotes eorum in gladio cecide-
runt, & viduae eorum non plorabantur.

Explicat ultionem Divinam in peccata po-
puli sui : Philistæi scilicet fuderunt exercitum
Israëlis, & Atcam Domini captivam duxe-
runt, Sacerdotibus occisis, qui eam custodie-
bant. Vide I. Reg. 4. Audivit & cognovit pec-
cata populi sui clamantia in Cælum ; & sprevit
populum suum tanquam inuilem, & morte
dig-

dignissimum; & eum valde humiliavit, concessi victoriā maximā hostibus eorum. Et repulit Ec. abjecit tabernaculum, in quo erat Arca, & quod tunc erat in Silo: & in quo tabernaculo Deus quodam modo habitabat inter homines, quia indē dabat responsa hominibus. Et tradidit Ec. permisit capi Arcam a Philistaeis, quæ Arca erat potentia, robur, & simul decor, ac gloria Israel. Et conclusit Ec. permisit undique circumdari gladius hostium populum suum, quem elegerat sibi in hereditatem, h. c. populum peculiarem, & proprium. Juvenes eorum Ec. ardor belli, sive ignis iræ Dei consumpsit præstantissimos quosque, quales solent esse homines in flore juventutis: & occisis juvenibus in bello, virgines eis despontaræ non habuerunt, qui eorum sortem lugerent: quoniam in communi scirage quisque habuit, quod domi suæ iugeret; & ob eandem causam, Sacerdotibus occisis, nemo suus, qui relicta corum uxores desolando consolatur.

V. 71. *Et excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus a vino.*

V. 72. *Et percussit inimicos suos in posteriore, opprobrium sempiternum dedit illis.*

V. 73. *Et repulit tabernaculum Joseph, et tribum Ephraim non elegit.*

¶

¶. 74. Sed elegit tribum Iuda montere
Sion, quem dilexit.

¶. 75. Et edificavit sicut Unicornum san-
ctificium suum in terra, quam fundavit in se-
cula.

¶. 76. Et elegit David servum suum, &
sustulit eum de regibus ovium, de post fœtantes
aceperit eum.

¶. 77. Passere Jacob servum suum, &
Israel hereditatem suam.

¶. 78. Et pavit eos in innocentia cordis sui,
& in intellectibus manuum suarum deduxit eos.

Ostendit, Deo placuisse afflictionem po-
puli sui, quatenus pœna erat peccatorum; sed
non placuisse superbiam, & iniquitatem Phi-
listinorum, qui eos afflixerunt; & ideo vin-
dictam ab ipso Deo sumptam de Philistæis;
Vide 1. Reg. C. 5. Deus saepe uitit malâ vo-
luntate impiorum ad aliquos puniendos; &
deinde punit eosdem impios, non tam atten-
dens, quod per illos ipse fecit bonum, quam
malam nocendi cupiditatem, quam in eis ipse
don fecit.

Et excitatus. Et prevaluerunt Philistæi in
Hebræos, non ob Philistæorum potentiam,
vel Domini impotentiam; sed quia Dominus
dormiebat, & dormiebat sopore gravi, tan-
quam

quam crapulatus à vino : ebrietas enim altè dormire facit. Sed à sopore illo excitatus, potentiam suam in Philistæos in rificè demonstravit. Dicitur Deus dormire metaphoricè, dum ita se gerit, ac si non adverteret injurias, quæ illi faciunt iniqui : dicitur vero dormire, ut crapulatus à vino, dum patienter agit erga gravissimos peccatores, ac si ita altè dormiat, ut non advertat injurias maximas contra se fieri, qualis injuria fuit captivitas Arcæ. Et percussit Eccl. immisit enim morbum gravissimum, & pudendum in posteriora corporis Philistæorum, & ut Scriptura ait, in secretiore parte natiuum 1. Reg. 5. ut simul cruciarentur dolore, & rubore. Opprobrium sempiternum dedit illis : quia providentia Dei fecit, ut ipsi Philistæi annos anteos appenderent Arcæ ad memoriam sempiternam morbi pudendi, quo Deus illos afficerat. Vide 1. Reg. 6. Et reputat Eccl. noluit deinceps tabernaculum sacrum, in quo servabatur Arca, esse in Silo, quæ est civitas in tribu Ephraim, qui filius erat Jóleph : & constitutus Regnum in populo suo, non elegit Regem ex tribu Ephraim, quæ erat una ex duabus tribubus Joseph, & quidem numerosissima, ac potentissima, sed elegit tribum Juda, ex quâ daret populo suo Principes : & ele-

elegit montem Sion in locum tabernaculi, & postea templi, in quo servaretur Arca, & fierent sacrificia. *Et edificauit Deus in monte Sion, sive in Jerusalem, quæ est terra duratura in æternum, sanctuarium suum firmissimum, quasi cornu Monocerotis, quæ bestia solum unum cornu, sed firmissimum, & robustissimum gerit.* Hæc est parabola præcipua, & propositio, sive ænigma potissimum, quod initio Psalmi Prophetæ promisit: nec enim sanctuarium Testamenti veteris fuit firmum, ut cornu Monocerotis, nisi in typo sanctuarii Testamenti novi: nec mons Sion, aut Jerusalem fuit terra fundata in secula, cum brevi everla fuerit, nisi in figurâ Ecclesie Christianæ, adversus quam porta inferi non pravalebunt, & cuius Religio, & Sacra menta durabunt usque ad mundi consummationem. *Et elegit David &c. omittit Regnum Saulis, ut prole modicum duraturum, & quasi extortum à Deo clamoribus populi: sed Regnum Davidis posuit, qui Christi figuram gerebat, & ex propriâ Dei voluntate duraturum in æternum erat.* *Elegit ergo David servum suum: & sustulit cum de humili loco, ne foris ejus virtuti tribueretur tanta exaltatio: sustulit, inquam, de officio, & munere pastoritio, quod*

re-

reipsâ exercebat, cùm oves sc̄etas lequeretur: & transtulit eum ad ministerium pascendi homines: præposuit enim illum Regem populo suo, & hæreditati suæ, quæ Israël, & Jacob appellatur. *Et pavit* &c. optimam suisse divinam electionem eventus probavit. David enim pavit, & rexit populum Dei in innocentia cordis, & sapientia operis: *In innocentia cordis,* quia cor purum, & immaculatum gerens, non affectabat gloriam suam, sed Dei; non utilitatem suam, sed populi: cupiebat non tam præesse, quam prodesse; pascere oves, non ut suas, sed ut Domini sui: ut minister, non ut herus. *In sapientia operis,* vel, ut David loquitur, *in intellectibus manuum deduxit populum:* quia consideratè agebat, quidquid agebat; non temerè, non sine consilio, non absque maturitate. *Quæ omnia etsi utcunque Davidi conveniant;* absolutè tamen, & perfectè non nisi in Christo convenient. Alioqui non reprehendetur in Scripturâ David, quod uxorem alienam concupierit; quod adulterium, & homicidium perpetraverit; quod populum sine causa numerari voluerit; quod Miphiboseth inauditum damnaverit, & bona ipsius imprudens calumniatori donaverit. Christus autem vere innocens corde, & sapiens in opere fuit; qui

per-

peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius. 1. Petri 2. & qui audacter dicere poterat: quis ex vobis arguet me de peccato? Joan. 8.

PSALMUS LXXVIII.

Titus: *Psalmus Asaph.* De hoc titulo nihil dicendum occurrit.

Argumentum est *deploratio calamitatis, qua accidit Hebreis sub Antiocho, & ceteris Regibus tempore Machabaorum.* Poteris etiam cum S. Aug. *Psalmum accommodare ad persecutio-nes Ecclesiae sub Regibus, & Imperatoribus paganis.* In hoc *Psalmo* *concordant textus Hebraici, Græci, & Latini, & totus Psalmus facilius est.*

¶. I. Deus venerunt gentes in hereditatem tuam: polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Ierusalem in pomorum custodiam.

Loquitur in personâ populi Dei, futuri tempore Machabaorum. Deus, pagani Idololatriæ venerunt in eam civitatem, & provinciam, quam elegisti de toto orbe terrarum in propriam possessionem. Polluerunt scilicet Altaria profanando, & Idolis consecrando. Ipsam regiam civitatem adeò desolaverunt, ut non videretur civitas, sed rugitum desertum, qualia

C

eri-

eriguntur ad custodiam pomorum in hortis &c,
Vide 1. Machab. 1. § 3.

¶. 2. Posuerunt morticinia servorum tuorum
rum escas volatilibus Cœli, carnes sanctorum tuo-
rum bestiis terra.

¶. 3. Effuderunt sanguinem eorum, tan-
quam aquam in circuitu Ierusalem, & non erat
qui sepeliret.

Deploravit vastationem templi, & civitatis;
jam deplorat cædem hominum, & barbariem
hostium, qui cadavera occisorum Iudæorum
sepeliri non patiebantur; sed exposuerunt in
escam corvis, & canibus. *Morticinia* propriè
significat cadavera eorum, qui morbo interie-
runt; hic extenditur vocabulum ad corpora
occisorum. Illud. *Sanctorum* tuorum signifi-
cat homines Deo sanctificatos per fidei profes-
sionem. Vaticinium vide impletum 1. Mach. 7.

¶. 4. Facti sumus opprobrium viciniis no-
stris: subsannatio, & illusio his, qui in circuitu
nostro sunt.

Deplorat infamiam, ex illâ persecutiose se-
cutam. *Facti sumus* &c. vicina Regna Idu-
mæorum, Moabitarum, Ammonitarum &c.
despiciebant, & irridebant Hebræos, ut im-
belles, & contemptibiles.

¶. 5. Usquequà Domine irasceris in finem?
accendetur velut ignis furor tuus?

Vi.

Videbat Propheta, iram Dei in populum ita accensam, ut videretur funditus interitus; ideo in personâ populi precatur finem tantæ indignationis, quam igni comparat, qui nisi celeriter extinguatur, crescit, & omnia consumit.

¶. 6. *Effunde iram in gentes, quæ te non noverant, & in Regna, quæ nomen tuum non invocaverunt.*

Orat, converti iram Dei in hostes populi sui. Nos etsi mali filii sumus, tamen filii sumus, te novimus Deum verum, te colimus, & invocamus. *Effunde igitur potius iram Ego, qui te non noverunt, non habent pro Deo; non invocant nomen tuum, quia omnipotentem te esse non credunt.* Sed occurrit quæstio ex *Luç. 12.* ubi dicitur: *Servus, qui non novit voluntatem Domini sui, vapulabit paucis; qui vero novit, & non fecit, vapulabit multis.* *Re. S. Aug.* Evangelium loqui de servis ejusdem familiæ: inter eos enim gravius peccant, & severius puniuntur, qui scientes peccant, quam qui nescientes: sed utrisque multò gravius peccant, & severius puniendi sunt, qui de familiâ non sunt, sed hostes jurati, & servinnt creature potius, quam Creatori, de qualibus Psalmus agit ¶. seq.

¶. 7. *Quia comederunt Jacob, & locum ejus desolaverunt.*

Non solum isti Deum non invocarunt; sed & populum ejus quasi panem consuimplerunt, spoliantes, fugantes, interficientes; & civitatem Jerusalem desolantes in solitudinem redegerunt.

¶. 8. *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum: citu anticipent nos misericordiae tuae, quia pauperes facti sumus nimis.*

Ne videretur populus Dei, dum hostes accusat, & dignos pœnâ judicat, seipsum voluisse justificare, quasi non meritas pœnas daret, & quasi potentia adversariorum, non justitia Dei attenderetur; fatetur peccata, & ad misericordiam Patris appellat. Ne ipunias nos ob iniquitates antiquas, tum nostras, tum parentum, quorum iniquitatem sequimur. Cito anticipent Ec. iam tuimus in initium, nisi velocissime misericordia tua præveniat nos: nam facti sumus afflitti, humiliati, egeni non solum opum, sed etiam virium, & auxilij.

¶. 9. *Adjuva nos Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui Domine libera nos, & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.*

Per modum orantis, non docentis, explicat
mo-

modum, quo misericordia Dei nos anticipet. *Adjuva nos Deus &c.* in hâc prætenti calamitate, quod ut facias, duo sunt necessaria; & ut liberes nos à persecutione, & ut ignoscas peccatis, propter quæ in persecutionem incidimus. Utrumque autem petimus non propter justitiam, & merita nostra, sed propter nomen, & gloriam tuam. Dicit, *Adjuva*, ut ostendat, non tolli arbitrii libertatem per auxilium gratiæ, sed stabilitati: non enim propriè adjuvatur, nisi qui aliquid agit cooperando gratiæ.

¶. 10. *Ne forte dicant gentes, ubi est Deus eorum?* *G* innotescat in nationibus coram oculis nostris.

Ratio, cur dixerit, propter gloriam nominis *enī*: *Ne forte dicant gentes, Ubi est Deus*, qui solebat adesse Judæis, & blasphemetur potentia, vel sapientia Dei, quasi fugerit, & absconderit terrena in imbecillus; aut ignoraverit, quid acciderit populo suo. *Et innotescat &c.* non solùm aliqui ita blasphement, sed divulgetur hæc blasphemia inter nationes, nobis ipsis videntibus, audientibus, & ideo etiam graviter erubescientibus.

¶. 11. *Ultio sanguinis servorum tuorum, qui Iesus est, introeat in conspectu tuo geminus competitorum.*

C 3

Ex.

Ergo ne blasphemetur nomen tuum, respice aliquando sanguinem effusum servorum tuorum occisorum, & ulciscere: respice, & ulciscere servos tuos, qui reliqui sunt, & in comprehendibus viventes gemunt ad te, Domine.

¶. 12. Secundum magnitudinem brachii tui posside filios mortificatorum.

¶. 13. Et reddet vicinis nostris sepruplum in sinu eorum: improprium ipsorum, quod exprobraverunt tibi Domine.

Duo petierat in persona populi Dei, ut ulcisceretur sanguinem occisorum, & ut liberaret captivos morti destinatos; nunc eademi petit, sed ordine inverso. Sicut brachium tuum robustissimum est, ita fortiter resiste persecutoribus nostris, & posside ut propriam hereditatem reliquias populi tui, filios nempe eorum, qui ab hostibus occisi sunt. Et rettribue vicinis hostibus nostris pœnam longè maiorem, quam recordet in sinu eorum, ne facile eam excutere possint. Sicut tibi exprobraverunt imbecillitatem, & insipientiam, quasi verus Deus non esset: sic ostende, illos verè suisse imbecilles, & insipientes, non tam homines, quam vermiculos terræ, aut pulverem.

¶. 14. Nos autem populus tuus, & oves pacatae, confitebimur tibi in seculum.

¶. 15. *In generationem, & generationem
annuntiabimus laudem tuam.*

Verè scribit S. Aug. verba ¶. 13. esse potius prædictionem, quam imprecationem: & ex illâ certissimâ prædictione concludit: illi, ut meriti sunt, recipient in finum suum gravissimam ultiōnem: nos laudabimus te, & prædicabimus gloriam tuam in sæcula. Vaticinium adumbratum est in Hebræis post persecutio-
nem Antiochi; sed impletur multò verius in Ecclesiâ Christi post tot persecutions.

PSALMUS LXXIX.

Titus: *In finem pro his, qui communata-
buntur, testimonium Asaph, Psalmus.*

Illud, testimonium Asaph, significat hunc Psalmum esse testimonium per Asaph decanta-
tum, quo Spiritus S. testificatur captivitatem
Israel, & liberationem. Cetera patent ex Ps. 44.
& alibi.

Argumentum est prædictio captivitatis, & li-
beratio Hebraorum. Quæ figura sunt captivita-
tis generis humani per Dubolum, & liberationis
per Jesum Christum Salvatorem nostrum.

¶. 1. *Qui regis Israel, intedes qui dedu-
cis velut ovem Joseph.*

Incipit invocando Deum, & orando, ut ex-
audiat orationem. Tu Deus, qui es proprius



Rector, & pastor populi Israelitici, & qui deducis ad pascua velut ovium gregem, eundem populum descendenter ex Joseph, audi orationem, quam fundo pro ipso populo tuo

¶. 2. *Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim, Benjamin, & Manasse,*

Rogavit Deum, ut intenderet aures ad preces populi; jam rogat, ut intendat eum oculos, & benignè respiciat. Tu Deus, qui sedes in Cælo super primarios Angelos, qui Cherubim appellantur, & in typum hujus rei in sanctuario tuo, super imagines Cherubim propitiatorium, quasi thronum tuum habes, ubi & Arca quasi scabellum pedum tuorum est, ostende faciem tuam, h.e. placare filiis Israel. Non minat tres illas tribus, quia Ephraim, & Manasse erant filii Joseph, scatis utetini ipsius Benjamin; & ¶. 1. per Joseph torum populum significaverat.

¶. 3. *Excita potentiam tuam, & veni, ut salvos facias nos.*

Superiora jam dicit clarius. Potentia tua quasi sopita videtur, dum nos affligi sinis ab injustis persecutoribus nostris: ideo *Excita & veni* per auxilium tuum potentissimum, ut salvos nos facias.

¶. 4. *Deus converte nos; & ostende faciem tuam, & salvierimus.*

Cur

Cur Deus læpe nos non respiciat, causa est, quia nos avertimus ab eo faciem, & convertimur ad res creatas, sed quia sine auxilio Dei non possumus ad eum converti, ideo utrumque petit in persona populi Deus inspira nobis amorem tuum, ut averti à rebus creatis, ad te iterum convertamur. Et simul converti ad nos faciem tuam, ut ita sanctæ caritatis vinculo tecum uniti ab hostibus omnibus, qui nos impugnanti salvi esse possimus

¶. 5. Domine Deus virtutum, quousque irasceris super orationem servi tui?

Videbat magnam iram Dei exarsisse in populum peccantem, nec se ideo facile posse exaudiri, ideo orat vehementius: Domine Deus exercituum, qui terribilis es, militia Cælesti innumerabili circumdatu, quousque irasceris etiam mihi oranti? Vide Thren. 3. ¶. 44.

¶. 6. Cibabis nos pane lacrimarum, & potum dabitis nobis in lacrimis in mensura.

Subintellige hic quousque, ut sensus sit: quousque sine nos in tantâ afflictione morari, ut nihil magis, quam lacrimari nobis libeat, & sic lacrimis, quasi cibo, & potu sustentemur? Illud, in mensura, hebraicè significat in mensura plenissimâ, & supererfliente.

¶. 7. Posuisti nos in contradictionem vici.

nis nostris, & inimici nostri subsannaverunt nos.

Ecce causam tanti mœroris, & lacrimarum. Cùm nos auxilio tuo destituisti, fecisti, ut omnes vicinæ gentes auderent nobiscum pugnare: & inimici nostri nobis ut victis insultant, & exprobrant debilitatem.

¶. 8. Deus virtutum converte nos, & ostende faciem tuam, & salvi erimus.

Est idem cum ¶. 4. Addit virtutum, h. c. Deus exercitum.

¶. 9. Vineam de Ægypto transtulisti, eje-
cisti gentes, & plantasti eam.

Ut impetrer, quod petit, meminit beneficia Dei, dum eduxit Judæos ex Ægypto. Populum tuum, quali vineam de terrâ stetili Ægypti in terram fœcundam Palæstinæ transtulisti: & ex terrâ hâc optimâ ejecisti gentes, idololatras, ve-
luti inuiles vites, & plantasti eam, vineam tuam videlicet.

¶. 10. Dux itineris fuisti in conspectu ejus: plantasti radices ejus, & implevit terram.

Ut intelligas cum loqui de vineâ rationali, seu hominibus, admisceret propria metaphoris. Cùm transferres vineam, ut dictum est, & vinea ipsa, utpote rationalis, progrederetur, tu viam ostendisti, nempe in columnâ nubis, & ignis.

Con-

Confirmasti populum tuum in terra promissio-
nis, & propagasti eum, ita ut totam illam ter-
ram habitatoribus repleret.

¶. 11. Operuit montes umbra ejus, & ar-
busta ejus cedros Dei.

¶. 12. Et extendit palmites suos usque ad
mare, & usque ad flumen propagines ejus.

Describit Judæorum incrementum, & mis-
cet metaphoris hyperbolas. Hæc vinea adeò in
altum exerevit, ut esset altior montibus, eös-
que umbrâ suâ tegeret; ita ut ejus palmites ce-
dros Dei, h. e. altissimas obumbrarent. Sig-
nificat autem hæc altitudo potentiam, & glo-
riam Regni Israelitici, supra potentiam, & glo-
riam multorum Regnum. Tum describit
propagationem. Extendit &c. gens Israelitica
ita multiplicata est, ut repleret terram promis-
sionis ad occidentem usque ad mare mediterra-
neum, & ab oriente usque ad flumen magnum
Euphraten, sic Deus promisit Deuter 11.

¶. 13. Ut quid destruxisti maceriam ejus,
& vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur
viam?

Explicatâ magnitudine, & gloriâ populi,
jam in eâdem metaphora deflet ejus miseriā,
in quam incidit ex indignatione Dei. Quare
removisti ab hoc populo auxilium suum, quod
erat

erat quasi maceria, undique claudens vineam? cur suis, ut omnes inimici hujus populi in illum prævaleant, ac diripient, ut diripiuntur vineæ ab omnibus iter facientibus, dum destruta est maceria? sæpe Regnum Israhælitarum, deserente eos Deo ob peccata populi, cessit in prædam Philistæis, aut Medianis, aut aliis.

v. 14. Exterminavit eam aper desylva, & singularis ferus depastus est eam.

Deplorat in particuli gravissimam captitatem sub Rege Assyriorum, sive Salmanasar, qui toras decem tribus, sive Nabuchodonosor, qui reliquas duas captivas abduxerat, eversâ urbe, incenso templo. Hunc Regem vocat a primum silvestrem, & singularem ferum, qui non vindemiat, sed eradicavit penitus vineam. Porcus silvester dicitur singularis, quia solitudine gaudet, & ferus, quia in campis silvæ, non in stabulis habitat.

v. 15. Deus virtutum convertere, respice de Cælo, & vide, & visita vineam istam.

Per modum orantis prædictum adventum Christi, qui vineam reformatum, & aliis colonis custodiendam tradidit, Matth. 21. Deus exercituum convertere per misericordiam ad populum, a quo per iram justam jam diu aversus est: saltem de Cælo respice, & vide, quæ

quam deforinata sit vinea ista ab a pro silvestri:
veni, ac visita per te ipsum vincam istam. *Vide*
Luc. 13. v. 68. *Insequitur de incolumisq. mul-*
v. 16. Et perfice eam, quam plantavit deca-
tera tua, & super filium hominis, quem con-
firmasti tibi. *quoniam eam deo opere creare*

Clarius prædictit adventum Messiae. Inchoa-
tum opus perfice. Ecclesiam Testamenti ve-
teris pene destructam reformat, & meliorem
redde, quoniam tu eam in iuio fundasti, &
quasi vineam plantasti, non ut periret, sed
ut fructum faceret. Et respice etiam super Mes-
siam, qui filius hominis dicetur, cum etiam
sit verus filius tuus, quem tibi stabilivisti in co-
lonum præcipuum vineæ tuæ, seu in Ducem,
& Principem Ecclesie tuæ. Orat igitur Pro-
pheta, ut Deus impleat promissionem de mi-
tendo Messiam: & quoniam si genus Hebraeo-
rum omnino periret, Messias sine dubio non
venisset, ideo rogat, ut non permittat, vi-
neam istam omnino destruas, sed respiciat super
Messiam futurum de semine Abrahæ, & ideo
conserver geniem Hebraicam, unde tantum
bonum exspectatur.

v. 17. Incensaigni, & suffossa ab increpa-
tione vultus tui peribunt.

Declarat effectum, quem patiet adventus
Met-

Messiæ, futurum scil, ut vinea Domini in-
eensa igni, & ab hostibus eradicata, continuò
iterum vitescat, & floreat: nam increpante,
seu imperante Deo, ut cesset vastatio, continuò
peribunt incensio & suffossio.

¶. 18. *Fiat manus tua super virum dextere
tua: & super filium hominis, quem confirmasti
tibi.*

Securus de adventu Messiæ, fausta illi preca-
tur. *Fiat manus tua ad protegendum semper,*
& ubique vitum, quem non cooperatio viti,
sed sola Divina virtus in utero Virginis forma-
vit: nec eum electio humana, sed sola volun-
tas Divina Regem Ecclesiæ fecit.

¶. 19. *Et non discedimus à te, vivificabis
nos, & nomen tuum invocabimus.*

Christo nos regente, non amplius *discedemus*
à te, quia Regnum Christi æternum erit: vi-
vificabis nos vitâ gratiæ hic in terris, & vitâ glo-
riæ postea in Cælis; & nos laudabimus te, &
gratias agemus in æternum.

¶. 20. *Domine Deus Virtutum converte
nos: & ostende faciem tuam, & salvi erimus.*
Vide ¶. 8.

PSALMUS LXXX.

Titus: *In finem pro torcularibus. Psalmus ipsi Asaph. Vide titulum Ps. 8. Quidam*

dam addunt, quinta Sabbati, sed in Hebraicis codicibus, & in correctioribus Gracis, & Latinis non habetur.

Argumentum est cohortatio ad festos dies, rite celebrandos: & simul commemoratione beneficiorum Dei, ob quae dies festi celebrantur, & reprehensio negligentiae, & ingratitudinis Hebraorum.

¶. 1. *Exultate Deo adjutori nostro, jubilate Deo Jacob.*

Hortatur, ut, cum Deum laudamus, cum magnâ cordis lætitia id agamus: si enim hilarem datorem diligit Deus, multò magis hilarem laudatorem. Hilaritas autem cordis ex desiderio, & amore nascitur; unde qui cum aedîa psallit, indicat se parùm amare, cui psallit. *Exultate &c.* cum exultatione laudate Deum, qui potens est, & fortis ad nos in omnibus rebus juvandos. *Jubilate &c.* magnâ, & lætâ voce canite laudes Dei nostri.

¶. 2. *Sumite psalmum, & date tympanum, psalterium jucundum cum cithara.*

Hortatur, ut non solum voce, sed etiam instrumentis musicis Deum celebremus. Per hæc in Nova Lege intellige sonitum bonorum operum, quæ verbis laudatoriis, quasi ex alterâ parte respondere, & consonare debent.

Affu-

Assumite Psalmum, vos Levitæ, proferte tympanum cum citharâ, & jucundè pulsate.

¶. 3. *Buccinate in neomenia tuba in insigni die solemnitatis vestræ.*

Explicat, præcipuè jubilandum esse in Neomeniis, sive Noviluniis, præsertim in Neomeniâ Septembris, quæ erat omnium celeberrima, in quam incidebat festum tubarum. *Vide Levit. 23. Et num. 29.*

¶. 4. *Quia præceptum in Israel est, Et iudicium Deo Jacob.*

¶. 5. *Testimonium in Joseph posuit illud, cum exiret de terra Ægypti, linguam, quam non noverat, audivit.*

Ratio cantandi cum gaudio, & pulsandi instrumenta musica est, quia hoc Deus ipse mandavit, dum eduxit populum de captivitate Pharaonis : vult enim Deus, qui nullâ re indiget, hoc tributum laudis, & memorie beneficiorum suorum. *Quia præceptum Eccl.,* quia hoc præcepit Deus populo suo Israel, & in eodem populo conservatur hoc iudicium, seu præceptum. *Testimonium Eccl.* idem repetit, & addit tempus. Per Joseph intellige eundem populum. *Linguam Eccl.,* per hanc Veteres intelligunt vocem Dei loquentis de monte Sina; nec enim antea loquentem Deum audierant. Recen-

centiores aliqui intelligunt linguam Ægyptiacam, ut sensus sit: populus cum barbaris ignorantæ linguae conversatus est.

¶. 6. *Divertit ab oneribus dorsum ejus, manus ejus in cophino servierunt.*

Ecce alterum beneficium Dei erga Hebræos. Deus liberavit populum suum ab oneribus duris laborum, cuius populi manus jam diu in gestandis cophinis plenis luto, vel lateribus servierunt Ægyptiis.

¶. 7. *In tribulatione invocasti me. & liberavi te: exaudi vi te in abscondito tempestatis: probavi te apud aquam contradictionis.*

Ab hoc ¶. usque ad finem vicissim commemorat Deus beneficia sua in populum, & humanis in Deum ingratitudinem. Dum in Ægypto tribulationem gravissimam patceris, invocasti me, & liberavi te de durissimâ servitute, educendo de terrâ illâ: etiam exaudi vi te, cum timeres plagas, quibus Ægyptum percussi: tunc enim abscondi te, & protexi, ne plagi illæ tibi nocerent. Post hæc iam magna beneficia tentavi te per aquæ penuriam, ut explorarem fidem, & patientiam tuam; sed inveni impatiem, & infidelem. *Vide Exod. 17. & num. 20.* Dicitur aqua contradictionis, quia propter eam populus contradicere cœpit Mosi, & ejus imperium detrectare. D

¶.

¶. 8. Audi populus meus, & contestabor te,
Israel si audieris me, non erit in te Deus recens,
neque adorabis Deum alienum.

¶. 9. Ego enim sum Dominus Deus tuus,
qui eduxi te de terra Egypti, dilata os tuum,
& implebo illud.

Refert in persona Dei, quam & quas condi-
tiones Deus populo suo proponerit, & quam
ampla promiserit, si pactis stare voluerit.
Audi gens Hebræa, quæ es populus meus: &
palam testatum faciam tibi, quid à te requi-
ram, & quid tibi redditurus sim. Israel, si mihi
obedire volueris, hoc imprimis tibi mando, ut
non colas Deos falsos, recenter sculpos, vel
in cerebro confictos. Dein addit optimam ra-
tionem: nam ego sum &c. tum subdit promis-
sionem ampliissimam: dilata, quantum potes,
os, & sauces desiderii sui, quia replebo cibo
suavissimo famem tuam. Hanc premissionem
solus Deus implere potest; nulla verò creatura.

¶. 10. Et non audivit populus meus vocem
meam, & Israel non intendit mihi.

Queritur Deus de ingratitudine populi. Mi-
rum certè, quod cum in terris servuli ambient
gratiam Domini sui, & pro magno beneficio
reputent, si cum eis Dominus loqui, vel eos
respicere dignetur: Israel tamen, h. e. pulvis,

&

& cinis Deum Deorum audire, & in eum inten-
dere dedignetur.

¶. 11. *Et dimisi eos secundum desideria cor-
dis eorum, ibant in adventionibus suis.*

Horrendum, sed justissimum flagellum mi-
natur Deus contemptibus suis, obduratio-
nem cordis. Permisit, ut operarentur juxta con-
cupiscentias suas: sequentur non vias rectas le-
gis meæ, sed cogitationes cordis sui in cultu
Deorum, quos humana curiositas invenit; in
omni turpitudine vitiorum, quibus corrum-
punt destituti Dei lumine, & ope gratiæ effi-
caciis.

¶. 12. *Si populus meus audisset me, Israel
si in viis meis ambulasset.*

¶. 13. *Pro nihilo forsitan inimicos eorum
humiliasset: & super tribulantes eos misisset
manum meam.*

Redit Deus ad promissiones, ut ostendat in-
natam sibi misericordiæ affluentiam. Si popu-
lus meus audisset me, & in legibus meis ambu-
lasset, facillimè, & celerrimè omnes hostes,
qui eum nunc tantopere vexant, humiliasset,
& dejecisset, ut caput attollere non valerent:
quia super persecutores populi mei misisset
manum potentiaæ meæ, atque eos contrivisset.
Illud, pro nihilo, significat, Deum facillimè id

agere, quia nihil ei resistit. Illud, forsitan, ad-
diderunt Septuaginta, ut intelligeremus Deum
non necessariò, sed libere agere, & posse, si ve-
lit, non agere.

V. 14. *Inimici Domini mentiti sunt ei, &
erit tempus eorum in sacula.*

Loquitur de Judæis, de quibus **V. 10.** Judæi
rebelles mentiti sunt ei, quia promiserunt ad
radices montes Sinai, *Exod. 24.*, se facturos
omnia, quæ Dominus imperasset; & tamen ni-
hil eorum opere compleverunt: & erit tempus
defectionis, & rebellionis eorum in sæcula,
quia vix in fine mundi reliquæ Judæorum con-
vertentur.

V. 15. *Et cibavit eos ex adipe frumenti, &
de petra melle saturavit eos.*

Hic notatur maxima Judæorum ingratitu-
do, qui mentiti sunt Domino, cùm tantis eos
beneficiis affecisset. Verba teferii possunt ad
manna Judæorum in deserto, & ad aquam de
petra per Mosen eductam, quæ, ut Theodore-
tus ait, sicut in Hebræis in istar mellis vider-
batur,

PSALMUS LXXXI.

Titulus: *Psalmus Asaph.*

Argumentum est exhortatio ad iudices,
ut justè judicent. Sed ut majorem efficaciam ha-
bet

beat exhortatio, inducitur Deus summus Iudex,
increpans Iudices minores.

¶. 1. Deus stetit in Synagoga Deorum, in
medio autem Deos dijudicat.

Deus semper adest, assistit praesens invisibili
majestate, in conventu Judicum; &, dum illi
judicant populos, Deus in medio eorum assi-
stens, judicat ipsos Iudices, recte sunt eorum
sententiae, an iniquæ.

¶. 2. Usquequo judicatis iniquitatem, & fa-
cere peccatorum sumitis?

Quis loqui censendus sit, David, an Deus,
incertum est. Namdiu perseverabis in hoc
peccato iniquè judicandi; cuius ratio est, quia
sumitis facies &c. non attenditis ad merita cau-
sa, sed gratiam divitum, potentium, qui hoc
ipso peccant, quod cupiant à Iudicibus gra-
tiam suam justitiae anteponi.

¶. 3. Iudicate egeno, & pupillo, humilem,
& pauperem justificate.

Reprehendit Deus, sive Propheta primo lo-
co vitium acceptionis personarum; nunc addit
vitium oppressionis pauperum, tum differendo
justitiam, tum damnando inuestigant. Sensus ¶.
non est, ut semper in favorem pauperis judice-
tur; sed, si justus est, & inuestigatur, Iudex
faciat, ut justitia pauperis emineat, nec alio-
rum potentia opprimatur. D 3 ¶.

¶. 4. *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.*

Non satis facit Iudex officio suo, si solùm proferat justum iudicium, sed insuper ipsius est sententia in hanc executioni mandare, ne pauper detrimentu aliquid à potentiore inimico patiatur.

¶. 5. *Nescierunt, neque intellexerunt: in tenebris ambulant, movebuntur omnia funda- menta terræ.*

Deplorat voluntariam cæcitatem Judicium, ob quorum injusticias totus orbis terrarum conturbatur. Nescierunt, quid facti, neque intellexerunt, quid juris esset in causâ: inde errant in judicando, ut cœci inter ambulandum: ex quo sequitur perturbatio, sedatio, defe-ctio &c. populorum.

¶. 6. *Ego dixi, Dū estis, & filii excelsi omnes.*

Post reprehensam acceptionem persona- rum, injustitiam, ignorantiam, jam ostendit, quām indigna sint hæc vitia eo sublimi honore, in quo Deus illos collocavit. Ego asserui: vos Judices, & Principes terræ, *Dū estis, & filii Dei*, per participationem authoritatis judi- candi, & jubendi.

¶. 7. *Vos autem sicut homines moriemini, & sicut unus de Principibus cadetis.*

Ego

Ego dixi, quid sitis dignatione Dei; sed nunc addam, quid sitis vitio vestro. Ex Dei munere Dii estis, & Angelis similes: sed ex peccato, quod habetis ex primo homine, sicut ceteri homines moriemini; & ex proprio vestro vitio, quo abutimini potestate vobis traditâ, sicut unus de *Principibus Cælestibus*, seu Angelis Apostaticis cadetis, de summo gradu ad imum, de magnâ gloriâ ad extremam misericordiam. Illud, sicut homines, hebraicè est, sicut *Adam*.

v. 8. *Surgo Deus, judica terram, quoniam tu hereditabis in omnibus gentibus.*

Conclusio duplēm sensum habet; utrumque refero.

Quandoquidem abutuntur Judices potestate tua, tu Deus, summe Judex exurge, & exerce judicia in ipsos Judices, liberans pauperes innoxios, ab oppressione potentium ini- quorum: quoniam possessio tua semper erit, sicuti fuit, in omni genere humano. Non enim sic distribuis Regna filiis hominum, ut tu superamenti potestatem non semper retineas.

Vel *Surge Deus Christe, veni in terras, judica terram, vindica eam à potestate tene- brarum; trade eam ministris tuis fidelibus; quoniam tu es hæres universorum, ut verus, & naturalis Filius Dei.* Et demum surge ite-

ruin, & veni de Cælo cum Sanctis tuis, & judica terram judicio ultimo, à quo nulla dari poterit appellatio; quia hereditabis in omnibus gentibus, quando omnes inimici tui subjecti erunt sub Icabellum pedum tuorum, & sublatto omni principatu, & potestate, tu solus pacificè cum Pare, & Spiritu S. regnabis per omnem æternitatem.

PSALMUS LXXXII.

Titulus: *Canticum Psalmi Asaph. Hic est ultimus ex Psalmis, qui inscribuntur Asaph.*

Omissis aliorum sententiis, probabilissimum est, argumentum Psalmi esse de bellis Antichristi adversus Ecclesiam.

¶. 1. *Deus, quis similis erit tibi? ne racheas, neque compescaris Deus.*

Precatur Deum in personâ populi, ut non amplius dissimulet vindictam sumere de persecutoribus populi sui. Deus, nemo tibi comparari potest in potentia, & robore; cum tu solus sis omnipotens: ideo ne dissimules, nec te ipse mitiges, & compelcas à sumenda vindicta, tu qui Deus es, cui nemo resistere potest.

¶. 2. *Quoniam ecce inimici tui sonuerunt, qui oderunt te, extulerunt caput,*

Mag-

Magna ratio, cur Deus silere non debeat. Quoniam inimici tui tumultum insolitum excitaverunt, tumultuati sunt &c.; apparente enim Antichristo, plurimi, qui non audebant se hostes Ecclesie profiteri, palam se Antichristo adjungent, & cum ipsis efferent audacter caput suum, & caput commune omnium iniquorum, h.e. Antichristum.

¶. 3. *Super populum tuum malignaverunt consilium, & cogitaverunt adversus Sanctos tuos.*

¶. 4. *Dixerunt, venite, & disperdamus eos de gente, & non memoretur nomen Israel ultra.*

Explicat magnitudinem periculi, ut Deus non differat diutius opem. Malignum consilium inicunt adversus totum populum tuum; quod multiplex erit apud Antichristum, consilium habendo cum Diabolo, quem occulte colet; fingendo le Christum, ut Christianos decipiat; & simul probando circumcisionem, & sabbata, ut seducat Hebreos. Et malitiosum illud consilium excogitaverunt in perniciem fidelium tuorum, qui sanctificati sunt per sanguinem Unigeniti, & tibi propriè sanctificati, & dedicati. *Dixerunt, efficiamus, ut non sint amplius gens, & populus, & ne nomen quidem populi Dei supersit.* D §. ¶.



¶. 5. Quoniam cogitaverunt unanimiter simul, adversum te testamentum disposuerunt tabernacula idumæorum, & Ismaelite.

¶. 6. Moab, & Agareni, Gebal, & Ammon & Amalech: alienigenæ cum habitantibus Ty-
rum.

¶. 7. Etenim Assur venit cum illis, facti sunt in adjutorium filii Loth.

Per deceas illas gentes intellige multitudinem Orientalium barbarorum, qui cum Anti-
christo gravissimè persequuntur Ecclesiam. Illud cogitaverunt unanimiter, significat, uno
animo consilium cœperunt adversum te &c.
h.e. fœdus inierunt adversus populum tuum.
Porro illæ gentes, quæ contra Machabæos
pugnarunt, ad literam sunt, primò Idumei,
sæc. castra Idumæorum: hi populi descendunt
ab Esau, qui & dictus Edom. Dein Ismaeli-
tæ, descendentes ab Ismaele, filio Abrahæ
ex Agar ancillâ: tertio Moab, populus sic di-
stus à Moab, filio Loth. Quartò Agareni, des-
cendentes ex dictâ Agar, quæ dimisla ab Abra-
ham, alteri marito nopsis. Quintò Gebal, po-
pulus descendens à Gebal; quod sine nomen
viri, an regionis, incertum p. est, cùm in hoc
canum Scripturæ loco inveniatur. Sextò Am-
mon, populus descendens ab Ammon filo Loth,

fra-

fratre Moab. Septimò *Amalech*, populus descendens ab *Amalech*, nepote *Elau*. Octavò *Alienigena*, h. e. populus *Philistinorum*. Nonò *Tyri*, sic dicti à *Tyro* urbe, & emporio nobilissimo. Decimò *Assur*, qui venit in auxilium *Siliis Loth*, h. e. *Ammonitis*, & *Moabitis* contra *Judæos*. Per *Assyrios* hos intellige *Samartanos*, seu illos *Assyrios*, quos constituit *Salmanasar* Rex *Assyriae* in *Samaria*, dum transfuit decem tribus in *Assyriam*, 4. Reg. 17.

¶. 8. *Fac illis sicut Madian, & Sisara, sicut Jabin in torrente Cisson.*

Prædicit per modum imprecationis extermi-
nium gentium, quæ cum *Machabæis* prælia-
bantur, sed præcipue *Antichristi*, & exercitūs
eius, comparans illos aliis per securoribus, qui
similiter perierunt. Disperde illos, sicut olim
tempore *Gedeonis* *Judicis* penitus profligasti
Madianitas, *Jud. C. 6. & 7.*; & sicut tempore
Baroch *Judicis* perdidisti *Sitaram*, *Principem*
militiae Regis Jabin. Et sicut delevisti ipsum
Jabin Regem Chanaan cum exercitu suo pro-
pe torrentem, qui dicitur *Cisson*. Vide *Jud.*
C. 4. & 5. Meminit David horum *Principum*
præter ceteros, quia victi sunt non sine mira-
culo à paucis hominibus, & magis tetrore à
Deo immisso, quam viribus *Judæorum*.

¶. 9. Disperierunt in Endor, facti sunt, ut
stercus terra.

Describit locum, ubi perierint Jabin, & Si-
sara cum exercitu, scil. in Endor, Jos. 16. ibi
facti sunt, ut stercus terræ, quia insepulti com-
putruerunt, & a maximâ gloriâ ad summâ
ignominiam redacti sunt.

¶. 10. Pone Principes eorum, sicut Oreb,
& Zeb, & Zebed, & Salmana.

Redit ad Gedeonem, qui non solum Madia-
nitas profligavit, sed & paulò post interfecit
duos eorum Principes, Oreb, & Zeb, & duos
Reges, Zebee, & Salmana, Jud. C. 7. & 8.

¶. 11. Omnes Principes eorum, qui dixe-
runt, hereditate possideamus Sanctuarium Dei.

Sicut Reges, & Principes Madianitarum,
sic pone omnes Principes eorum populosum,
qui dixerunt, velut propriam possessionem vin-
dicemus nobis Ierusalem, ut bim Deo sanctifi-
catam, ut proprium ejus habitaculum. Per Je-
rusalem intellige Ecclesiam Dei, quam totis vi-
ribus oppugnabit Antichristus.

¶. 12. Deus meus pone illos iet rotam, &
sicut stipulam ante faciem venti.

Apollonius comparat instabilitatem cum ro-
ta, & cum stipula interitum impiorum. Rota
semper ruit in præceps, dum tandem tota con-
fin-

stringatur : stipulae à flante vento huc, illuc ja-
ctantur, donec dissipatae non amplius compa-
reant. Sic per modum imprecationis prædictit,
Deum justissime acturum cum impiis persecu-
toribus. Et certè nihil instabilius est prosperi-
tate impiorum, & finis eorum mors æternă
erit.

¶ 13. *Sicut ignis, qui comburit silvam;*
& sicut flamma comburens montes.

¶ 14. *Ita persequeris illos in tempestate tua;*
& in ira tua turbabis eos.

¶ 15. Prædixit impiorum supplicium; instabilita-
tem in hoc sæculo, & interitum in futuro; jam
prædictit faciliter, seu velocitatem, quā Deus
illos puniet: nec contentus similitudine venti
dissipantiis stipulas, comparat iram Dei igni
comburen*ti* ligna silvarum, inter quæ multa
sunt arida, & facillimè absumentur; & flammæ
comburenti scenum in montibus, præsertim
siccatum. Per tempestatem intellige iram Dei,
seu justum ipius judicium, quod, instar vehe-
mentissimi turbinis, impios percellet, contur-
bit, & dissipabit.

¶ 15. *Impie facies eorum ignominia, &*
quarent nomen tuum Domine.

¶ 16. *Erubescant, & conturbentur in sa-*
culum seculi, & confundantur, & pereant.

¶. 17. *Et cognoscant, quia nomen tibi Dominus, tu solus altissimus in omni terra.*

Prædictis, ex persecutoribus alios convertendos, alios in obstinatione mansuros. *Implefacie eorum confusione, ut ignominiam suam intelligentes querant te, ex inimicis amici facti.* Qui vero ex flagellis non molliuntur, sed instar Pharaonis magis obdurantur, æternâ confusione repleantur, & pereant in æternum. *Et cognoscant inviti, tibi soli nomen Domini propriè convenire, cui ad nutum ser viunt omnia.* *Et cognoscant, quia tu solus præmines potestate super omnes Principes universæ terræ; neque ullus est, qui tecum contendere, vel tibi ullo modo comparari possit.* Hæc Prophetia nunc ex parte impletur, in die judicii omnino, & absolute implenda.

PSALMUS LXXXII.

TItulus : *In finem, pro torcularibus, filius Core, Psalmus.* Titulus patet ex Ps. 8. 41. & aliis.

Psalmum hunc videntur nonnulli nimis humiliter exponere, qui docent, Davidem, vel populum exprimere desiderium redeundi Ierosolymam, ut tabernaculum Domini visitare posset; aut Coritas proferre desiderium suum redeundi ex Babylone in Ierusalem, ut possint deseruire taber-

bernaculo, unde victimum capiebant. Existimant Patres, tam ardens desiderium, quale in hoc Psalmo legimus, etiam ad literam, ad Cœlestia tabernacula pertinere; Et nihil terrenum, nihil humanum, nihil corporeum Spiritum S. his suis vocibus exprimere voluisse; Ideo ab Ecclesia Catholica peregrinante, etiam post exustum Hierosolymitanum tabernaculum, Et ipsius urbis eversionem, Psalmum hunc frequentari.

¶. 1. *Quam dilecta tabernacula tua Domini virtutum!* concupiscit, Et defecit anima mea in atria Domini.

Vox est hominis pii admirantis, & peregrinantis ad patriam, & desiderium perveniendi declarantis. Nascitur vero hoc desiderium tum ex felicitate patriæ, tum ex miseriâ peregrinationis. *Quam dilecta Ec.* ô quantum diligunt omnes pii tabernacula, cœlestes mansiones tuas, ô Domine exercitum, h. e. Angelorum, civium sapientissimorum, optimorum, potentissimorum, pulcherrimorum. *Concupiscit Ec.* ponit se in numero eorum, qui Cælum diligunt. Ego certè ita desidero atria illa, ut præ amore langueam, & anima mea, pulcritudine atriorum illorum considerata, deliquum patiam.

¶. 2. *Cor meum, Et caro mea exultaverunt in Deum vivum.*

De-

Declarat vim amoris, & desiderii per esse-
ctum. Mens, & lingua exultando laudaverunt
Deum vivum. Dicitur *vivus*, quia ipse solus
est vita, suum intelligere, & velle; fons vitæ,
non aliunde accipiens, sed omnibus tri-
buens.

¶. 3. *Etenim passer invenit sibi domum, &*
turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

¶. 4. *Altaria tua Domine virtutum, Rex*
meus, & Deus meus.

Hi ¶. ¶. obscuri sunt, & ab aliis aliter ex-
ponuntur; sequor Hieron. & Theodoret. Op-
taverat sanctus peregrinus donum cælestem;
sed interim, dum ejus possessio differtur, con-
solatur se. *Etenim passer &c.* omnia animalia
quærunt sibi locum aliquem quietis: & ipse
etiam passerculus invenit sibi nidulum ali-
quem; nec solum animalia, quæ delectantur
frequentiâ, ut passeret; sed etiam solitaria, ut
turtures parant sibi nidos, ubi ponant pullos
suos, & cum eis quasi securâ quiescant. Mihi
vero, sive activam vitam ducam, ut passer,
sive contemplativam, more turtrum, *altaria*
tua sunt, ubi interim paulisper quiescam, &
ubi vota mea, & casta desideria, piâsque medi-
tationes, & preces, & laudes, quasi pullos re-
ponam. *Altaria, inquam, tua &c.* qui me
re-

regis, dum, ut passer, haec illuc vagor; & qui
me consolans, dum, ut tunc, solitarius homo.
Vel: *Rex meus*, cui milio, dum aevos mihi,
ut passer, laqueos tendunt; *O Deus meus*,
cui vaco, dum, ut tunc viduus, divisa con-
templor. Potro quid in terris nobis melius re-
presentet tabernaculum cælestis, quam sacrum
altare? ibi quotidianus immolatur Agnus Dei, qui
sanguine suo aperuit credentibus Regna Cælo-
rum; ibi futuræ gloriæ nobis pignus datur;
ibi Deo proprius adstamus, cique intensius sup-
plicamus; ibi effundimus corda nostra, & di-
vinas laudes devotius, & attentius, quam us-
quam alibi, decantamus.

¶. 5. *Beati qui habitant in domo tua Do-
mine, in secula seculorum laudabunt te.*

Dixerat se invenisse nidum, ubi interim qui-
esceret: sed ex ipso nido admonitus, quanto
melior sit domus æterna nidulo temporali, ex-
clamat: *Beati Sc. Ego quidem in hoc nidulo*
*paulum quiesco; sed illi felicissime requies-
cunt, qui habitant in domo tuâ, ubi divitiae, &
gloria; ubi mansiones multæ; ubi pax, & secu-
ritas sempiterna; & cum nullo indigeant, id
superest, ut æternum laudent te; nec tædebit
semper laudare, quem nunquam tædebit sem-
per amare.*

¶. 6. *Beatus vir, cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit: in valle lacrimarum, in loco quem posuit.*

Non solum beatus est, qui habitat in domo tuâ, sed etiam beatus, si non in re, saltem in spe ille vir est, cuius auxilium non in propriis viribus, sed in te, Domine, est: hic enim disposuit semper ascendere ad majorem virtutis perfectionem, dum est in hac mortali vitâ, quae est vallis lacrimarum, quem locum ipse homo sibi posuit, quem tu in Paradiso posueras.

¶. 7. *Etenim benedictionem dabit legislator: ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.*

Declarat modum prædictæ ascensionis. Nam Deus, qui dedit legem, & eam viam esse voluit ad vitam, dabit abundantem gratiam per Spiritum S., justificando à peccatis infundendo charitatem, pellendo timorem. Acceptâ gratiæ benedictione, proficient quotidie in melius, magis, ac magis roborabuntur, superantes omnem difficultatem, & resistentes omni tentationi (*Virtus hoc loco robur significat;*) & sic tandem pervenient ad montem Sion cælestem, ubi facie ad faciem videbitur Deus Angelorum, & Beatorum, qui participatione sunt Dii.

¶. 8. *Domine Deus Virtutum, exaudi orationem*

tionem meam, auribus percipe Deus Jacob.

Redit ad geminum suum, cupiens esse ex il-
lis, qui dicto modo ascendunt. Domine Deus,
qui potentissimus es, exaudi orationem meam,
quā p̄ te corroborati in interiori homine: aur-
ibus percipe Deus Jacob orationem meam, qui
sum ex filiis Jacob secundum spiritum, h. c.
ē numero fidelium.

¶. 9. Protector noster aspice Deus, & respice
in faciem Christi tui.

Imploravit Dei auxilium, sumens argumen-
ta ad impetrandum, quod ipse potentissimus
sit, & curam gerit populi sui; nunc eadem re-
petit aliis verbis, sed majori efficaciā. Dixerat,
Deus virtutum, iam vocat protectorem, quasi
fortissimum clypeum populi sui. Pro, Deus
Jacob, dicit, respice in faciem Christi tui, Messiae,
Agni sūne maculā, qui tollit peccata mundi, &
propter eum protege nos.

¶. 10. Quia melior est dies una in atriis
tuis super millia.

¶. 11. Elegi abjectus esse in domo Dei mei,
magis, quām habitare in tabernaculis pecca-
torum.

Dat causam, cur tantopere petierit protecti-
onem Dei. Quia nimis magna esset jactura, si
ad patrem illam non pervenirem: melior est

enim habitatio unius diei in atriis illis cælestibus, quam innumerabilem dierum alibi. *Elegi* Ec. tanta est dignitas domus æternae in Cælis, ut malum ibi sedere ad januam cum ultimis, quam habitare in tabernaculis peccatorum.

¶. 12. *Quia misericordiam, & veritatem*
diligit Deus; gratiam & gloriam dabit Domi-
nus.

Hoc, & seq. ¶. consolatur virum justum, ascendentem in valle lacrimarum, & ad patrem anhelantem. *Quia Deus misericordiam,*
& veritatem, tenet justitiam diligit, miserebitur,
& dabit gratiam, ut in justitia proficiat;
& dabit gloriam, per quam glorificetur, cum ad Sion montem pervenerit.

¶. 13. *Non privabit bonis eos, qui ambulant*
in innocentia, Domine virtutum, beatus homo,
qui sperat in te.

Confirmat, quod dixit, & restringit promissionem gratiæ, & gloriæ ad eos, qui ambulant in innocentia. Deus misericors, & justus non privabit bonis gratiæ, & gloriæ, quæ sola sunt veræ, & absolute bona, eos, qui semel justificati ambulant in innocentia, perseverantes, & proficientes in fide, spe, & charitate. Concludit conversus ad Deum: *Domine exercituum,*
bea-

beatus erit, qui in te confidit confidentiâ verâ, ac solidâ, quam fides vera, & conscientia bona gignere solet.

PSALMUS LXXXIV.

TItulus : *In finem, filii Core, Psalmus.*

Alii Psalmum explicant de captivitate Iudeorum tum Aegyptiacâ, tum Babyloniacâ. Alii fortasse rectius existimant, agi de captivitate generis humani sub Principe tenebrarum, à quâ liberamur per Christum: sed in primis tribus versiculis prædicti liberationem ab hac captivitate, in reliquis orari pro executione prædictionis. Cur vero prædictio de re futurâ exponatur per verba temporis præteriti, causa est, quia quæ nobis futura sunt, in Dei præscientiâ, & decreto jam facta sunt.

¶. 1. Benedixisti Domine terram tuam, avertisti captivitatem Jacob.

Incipit à Dei decreto de futurâ liberatione, & hujus docet primam causam, & ultimum effectum. Propter peccatum Adæ maledixisti terræ, quam fecisti; sed, te revelante, scio, quod decreveris in æterno beneplacito tuo eandem terram visitare, & benedicere omni benedictione per Filium tuum. Averuisti &c. ecce effectum misericordiæ: in æterno decreto tuo

E 3

dif-

dissolvesti captivitatem populi tui Jacob, ut dein
fruatur libertate gloriae filiorum Dei.

V. 2. Remisisti iniquitatem plebis tuae, ope-
rasti omnia peccata eorum.

Docet modum, quo Deus benedicens terræ
dissolvit captivitatem, scil. remittendo peccata
populi. Remisisti &c. in mente, & decreto tuo
condonasti iniquitatem populo tuo, ob quam
eum tradideras Dæmoni, ut justitiae inæ admis-
tiro. Operasti, abscondisti à facie tuâ, ut non
videres ad puniendum omnia peccata eorum,
originale, & actualia.

V. 3. Mitigasti omnem iram tuam, aver-
asti ab ira indignationis tuae.

Sicut ira Dei causa futuionis; ita dicit pla-
cationem Dei suisse causam remissionis; pla-
cavit verò justitiam punitivam Dei Agnus occi-
sus ab origine mundi, Apoc. 3. Dicit omnem iram
mitigatam, ut significet Christi redempcionem
suisse sufficientissimam. Avertisti &c. idem
repetit.

V. 4. Converte nos Deus salutaris noster, &
averte iram tuam à nobis.

Incipit orare pro execuione decreti. Incipe
salutem nostram operari Deus Salvator noster;
quod facies, si nobis bonam voluntatem con-
versionis inspires. Et ut hoc misericorditer fa-
cere

cere incipias, Averte &c. reconciliare nobis, oblitus offensionum, quæ te nobis inimicum reddiderunt. Ex v. discimus, initiam salutis nostræ esse gratiam, quâ incipiamus ad Deum converti.

v. 5. Nunquid in aeternum irasceris nobis? aut extendes iram tuam à generatione in generationem?

Persistit in eâdem petitione. Num aeterna erit inimicitia tua ad genus humanum? num à generatione in generationem sine fine extendetur ira tua? quali dicat: id non convenit infinitæ clementiæ, & bonitati tui.

v. 6. Deus tu conversus vivificabis nos, & plebs tua lætabitur in te.

Docet est: Etum secuturum ex reconciliacione. Deus tu conversus ad nos per depositionem iræ, & reconciliationem vivificabis nos: Nam stipendium peccati mors, gratia autem Dei vita aeterna. Rom. 6. Et plebs respirans ob tam ingens beneficium, lætabunda cantabit laudes tuas.

v. 7. Ostende nobis misericordiam tuam, & salutare tuum da nobis.

Periit mitigationem iræ, reconciliationem, vivificationem, seu peccatorum per gratiam remissionem; jam peiit adventum Messias, per

quem factum est, ut planè videremus benignitatem Dei erga nos. Ostende Eccl. fac, ut experientio certo discamus misericordiam illam, quā in mente tuā ab æterno benedicere decrevisti terram tuam: & mitte nobis Salvatorem Filium tuum.

*. 8. *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam.*

Certitudinis gratiā admonet nos, se loqui ex revelatione Dei. Expositā petitione, audiam, quid Dominus mihi respondeat locutione internā, & spirituali. *Quoniam Eccl. tēlo Deum locuturum esse pacem in plebem suam. Summa ergo verborum Dei est promissio pacis per Messiam, quem petierat.*

*. 9. *Et super Sanctos suos, Eccl. in eos, qui convertuntur ad cor.*

Explicat, quod dixit: *in plebem suam: non enim promittit Deus pacem toti plebi, cùm impius non sit pax, sed sanctus, h. e. iis, qui ab externis ad interna convertuntur. Redit homo ad cor, dum cogitat vanitatem rerum, modicam peccati dulcedinem virtutis nobilitatem, primum bonorum æternorum. Postea homo secum habitat; & de rebus externis non credit sensibus, filiis hujus sæculi; sed consuli rectam rationem, fidem supernaturalem, Deum ipsum.*

De-

Demum contemplando aeterna, Deum, in ejus amorem rapitur; cetera omnia spenit. Haec est pax a nullare turbanda.

¶. 10. Veruntamen proptinentes eum salvare ipsi sunt, ut inhabitet gloria in terra nostra.

Adveniente Messia, praeditabitur pax, sed diu postea exhibebitur. Veruntamen talis Dei, sive Christus ipse Salvator propè erit ad sanandum per omnipotentiam suam omnes colentes eum timore sancto, ut gloria Dei manifestetur, & inhabitet in terra promissionis, ad quam propriè Salvator mitteret.

¶. 11. Misericordia & veritas obviauerunt sibi: justitia & pax osculatae sunt.

Aperit mysterium in adventu Messiae comprehendendum. Misericordia, & veritas, seu justitia, quæ alias in diversa pergere videntur, cum una ignoscatur, altera puniat, tempore Messiae obviabunt sibi, & amicissime conjungentur, & quas inter se osculabuntur: b. e. per Christi passionem & genus humanum misericorditer liberabitur, & divina justitiae plenissime satisfiet.

¶. 12. Veritas de terra orta est, & justitia de Calo prospexit.

Loquitur de mysterio incarnationis, utens tempore praeterito profaturo. Christus, qui ve-

ritas est, de Virgine Mariâ nascetur; & tunc justitia de Cælo manifestabitur, h.e. homines per fidem Christi justificabuntur, & ex passione Christi patebit mundo, quanta sit ira Dei contra peccatum.

¶. 13. *Etenim Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum.*

Dicit, veritatem ex terrâ nascituram, non ut fruges ex terrâ aratâ, & satâ, sed ut flores in campis silvestribus, sive culturâ hominum, ex pluvia de Cælo, & radiis Solis. *Etenim Ec. de Cælo emitteret Spiritum S., qui Virginem obumbrabit, & sic terra nostra nec arata, nec sata, sed omnino Virgo intacta dabit fructum suum.* Unde in *Cant.* ipse ait: *Ego flos campi, & lilyum convallium.*

¶. 14. *Justitia ante eum ambulabit, & posset in via gressus suos.*

Concludit, demonstrans, Christum omnino justum, & sanctum futurum. *Justitia Ec. Christus, quasi Sol quidam, & vere lux mundi, radios justitiae, & sapientiae suæ præmittet.* Et poset Ec. sic aggreditur iter peregrinatio-
nis suæ, ut multos peregrinos perducat in patriam suam.

PSALMUS LXXXV.

Titulus, & argumentum; *Oratio ipsi David.*
Psal-

Psalmus est oratio Davidi à Deo inspirata, cùm amaro esset animo. Et consolatione Divina indigeret. David enim, ut erat homo spiritualis, et in schola Spiritus S. eruditus, cùm varius tribulationibus premeretur, ad Deum, fontem omnis suavitatis per contemplationem, et orationem confugiebat, non ad creature, in quibus vera consolatio anima non est. Proinde Psalmus nobis usuvenit tempore ejuscumque temptationis, et tribulationis.

V. 1. Inclina Domine aurem tuam, et exaudi me, quoniam inops, et pauper sum ego.

Incipit orationem suam à magnitudine Dei, et vilitate suâ: quæ est optima ratio precandi, apta ad impetrandum. Tu, qui excellus es, inclina ad me, qui in imis jaceo, autem tuam, Tum addit rationem. exaudi me, quoniam inops, et pauper sum ego. Dicitur hic pauper, qui, sive opes habeat sive non habeat, non in iis, sed in Deo spem, vires, & bona omnia collocat.

V. 2. Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: salvum fac servum tuum in Deus meus sperantem in te.

Explicat, in quo cupiat exaudiri, quodque merito primum in omnium intentione esse debet. Conserva vitam animæ meæ, quia tu mihi eam dedisti, tu me in sanguine Filii tui justificasti,

casti,

casti, sanctificasti, & per hoc vivificasti, qui in peccatis mortuus eram. *Salvum fac Ego.* idem est.

¶. 3. *Miserere mei Domine, quoniam ad te clamavit tota die: latifica animam servi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi.*

Periit summum bonum, salutem animæ jam petit medium ad illum finem, nempe lætitiam spiritualem, quâ fortiter toleret tentationes, & pericula exilii. *Miserere Ego.* misericorditer exaudi orationem meam, quoniam *clamavi Ego.* ardenter, & perseveranter oravi. *Latifica Ego.* und que angustiis tentationum premor, nihil mihi in hâc valle lacrimarum occurrit, nisi amarum, dum non minus prosperitas terret, quam adversitas ipsa contumeliam; ideo *latifica Ego.* quoniam non inveniens requiem in illâ re creata ad te creatorem cogitatione, & desiderio, quæ sunt alæ amoris, animam meam levavi.

¶. 4. *Quoniam tu Domine suavis, & mitis, & multæ misericordia omnibus invocantibus te.*

Ratio, cur animam ad Deum levaverit pro consolatione recipiendâ. Quia tu suavis es, imò & mitis, ut ad te accedentes non repellas, & imperfectum nostrum toleres. *Et multæ misericordia Ego.* omnes, sine discrimine, facile admittis, & recipis, qui te invocant.

¶.

¶. 5. *Auribus percipe Domine orationem meam, & intende vocem deprecationis meae.*

Repetit partem ¶. 1. ad ostendendum affectum erga rem desideratam, & petitam.

¶. 6. *In die tribulationis meae clamavi ad te, quia exaudiisti me.*

Poterat Deus interrogare: quando orabis? quando vis, intendam deprecationi tux? R. David: *In die &c. omni tempore peregrinationis tribulationem, & dolorem inveni, & ideo semper clamavi ad te, & eâ fiduciâ clamavi, quia tu semper me exaudire solitus es.*

¶. 7. *Non est similis tui in Diis Domine, & non est secundus operatus.*

De ratione dictorum ¶. 1. 2. 3., nempe ideo se ad Deum configere, quia Deorum nullus ipsi similis est in essentiâ, potentia, sapientia, bonitate. Si per Deos intelligas Idola, hæc oculos habent, & non vident &c. Dæmones similitudinem Dei, ad quam facti sunt, per peccatum amiserunt. Principes, & Judices terræ Deos facit participatio authoritatis, & potentiz; homines justos sapientiaz, & justitiaz; S. Angelos utraque participatio; sed à Deo infinitè distant. *Non est &c.* Horum Deorum nullum opus est, quod cum operibus Dei comparari possit.

¶. 8. Omnes gentes quascunque fecisti, ve-
nient, & adorabunt coram te Domine, & glori-
ficabunt nomen tuum.

Ex hoc ¶. patet, superiorēm ¶. loqui de Ido-
lis. Ideo hi Di non sunt similes Deo, quia il-
lorum cultus aliquando cessabit, & eorum va-
nitas manifestè apparebit; & ex omnibus gen-
tibus venient, qui, relictā Idololatriā, Deum
verum adorabunt, & glorificabunt; imd in die
judicii omnes omnino gentes genua soli Deo
curvabunt.

¶. 9. Quoniam magnus es tu, & faciens mi-
rabilia, tu es Deus solus.

Ideo omnes gentes adorabunt te, quia tu so-
lus Deuses, verè magnus, & Deus faciens mira-
bilia, quæ nullus aliis facere potest, ut pate-
bit, cùm ad nutum Domini omnes mortui
resurgent &c.

¶. 10. Deduc me Domine in viatua, & in-
grediar in veritate tua: letetur cor meum, ut
timeat nomen tuum.

R. dit ad orationem, quâ per it. dirigi in hâc
peregrinatione, ne aberret à viâ ad patriam;
& simul petit consolationem spiritualem, quasi
refectionem, ne deficiat in viâ. Deduc Ec. per
auxilium gratiæ tuæ ostende mihi viam tuam,
& illuminando mentem, & movendo volunta-
tem

tem, & sic ingrediar iter juxta veritatem fidei, & legis tuæ. Latetur Te, non volo consolatiō- nem propter consolationem, sed ut per eam quasi cibo recreatus, perseverem in timore sancto tuo.

¶. 11. Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in eternum.

Orationi adjungit gratiarum actionem, quâ nihil utilius est ad impetranda nova beneficia. Confitebor tibi Domine Deus meus confessionem laudis, & gratiarum actionis ex vero, & pleno cordis affectu. Et glorificabo potentiam tuam in aeternum, donec vixero, sine intermissione.

¶. 12. Quia misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiore.

Hoc est beneficium, pro quo gratias agit. Quia nempe ex magna misericordia tua, non ex meis meritis, justificasti me a peccatis, ob quæ ad infernum inferiorem, locum damnatorum, descensurus fuissem, nisi per gratiam liberassem, ô quantum est hujusmodi conservationis beneficium!

¶. 13. Deus, iniqui insurrexerant super me, & Synagoga potentium quasierunt animam meam, & non proposuerunt te in conspectu tuo.

Post

Post actionem gratiarum redit adoratio-
nem, & liberatus per gratiam Christi ab in-
ferno, & interim prælians cum hostibus ani-
mæ suæ, graviter ingemiscit: ô Deus meus,
ecce iniqui insurrexerunt adversum me; neque
pauci, aut dibiles sunt, sed congregatio mag-
na fortissimorum hostium quæsierunt animam
meam, ut eam perdant: & excœcani, atque
obdurati non cogitaverunt, te esse protec-
torem justorum.

¶. 14. *Et tu Domine Deus misericordia, & misericors, patiens, & multæ misericordia, & verax.*

Petit adversus hostes auxilium, & prædicat
multis nominibus bonitatem Dei, ut ostendat,
se non temerè à tam bono Domino opem spe-
rate. *Misericordia*, hebraicè, patris affectu mi-
serans filios; *misericors*, gratiæ largitor; *pa-
tiens*, tardus ad iram; multus in misericordiâ,
& fidelitate.

¶. 15. *Respic in me, & miserere mei, da
imperium tuum pueru tuo, & salvum fac filium
ancilla tua.*

Cum tam multus sis ad miserendum, respice
in me oculis tantæ bonitatis tuæ, & miserere
mei, ut non prævaleant hostes tam multi in
scryum tuum; sed contrà des servo tuo impe-
rium,

rium, hebraicè, robur, fortitudinem ad eos
subjiciendos, & sic salva me ab eorum insidiis,
& persecutionibus.

v. 16. *Fac metum signum in bonum, ut
videant, qui oderunt me, & confundantur, quo-
niam tu Domine adjuvisti me, & consolatus
es me.*

*Per signum in bonum, omissis aliis acceptio-
nibus, forte intelligitur lætitia spiritualis,
quam petiit v. 3.; & tunc sensus erit. Da mihi
gratiam spiritualis lætitiae, quæ etiam in vultu
apparet; Et videant, qui oderunt me, hoc sig-
num patientiæ, & tranquillitatis animæ meæ,
& confundantur, quia tu Domine adjuvisti
certantem, & consolatus es mæterem, &
tristitiam in gaudium internum jam con-
vertisti.*

PSALMUS LXXXVI.

Titulus: *Filiis Core, Psalmus Cantici.*

*Argumentum est laus urbis Jerusalem,
per quam intellige Christi Ecclesiam. Terrenæ
illi civitati est convenit, quod initio dicitur,
Fundamenta ejus esse in montibus; tamen non
conveniunt cetera, præsertim quod in ea sit ha-
bitatio Babyloniorum, Ægyptiorum, & Tyrio-
rum. Ecclesiæ vero sive militanti, sive trium-
phantiorum omnia conveniunt.*

¶. 1. *Fundamenta ejus in montibus sanctis,*
diligit Dominus portas Sion suas, er omnia taber-
nacula Jacob.

Laudat Jerusalem à fundamentis, quæ sunt montes sancti. *Fundamenta ejus civitatis,* quam mente intueor, & cuius laudes prædicare incipio, sunt *in montibus sanctis.* Porro fundamenta Ecclesiæ sunt Apostol., Prophetæ, ministri Verbi Dei. Hi dicuntur montes propter excellentiam, & altitudinem non superbiæ, sed sanctitatis, sapientiæ, authoritatis. *Diligit Dominus Eccl.* dixerat urbem Dei non posse ruere, utpote fundatam non super arenam, sed supra montes sanctos; jam addit, eam non possit expugnari ab hostibus, quia Deus eam diligit ob firmissimas ejus portas, & magis diligit, quam quæcunque tabernacula Jacob: hæc enim eti pulchra essent, & in modo ordine disposita, dum iter faciebant Hebrei ex Ægypto in Palæstinam; tamen erant sine fundamento, & portis, ac per hoc mutabilia, ac temporaria. Significatur hoc ¶. stabilitas, & firmitas Ecclesiæ contra assulcus Insectorum.

¶. 2. *Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.*
Cœperat ex abrupto, Fundamenta ejus Eccl.
jam mutant formam dicendi, & admirabundus
urbem alloquitur. Non mireris, ô S. Civitas,

fi

Ex abrupto loqui cœpi, quoniam obruor copiâ encomiorum tuorum: multa enim glorio-
sa, magnifica, præstantissima dicta sunt mihi
a Spiritu S. de te, h. e. de Cælo, de Ecclesiâ
Christi. Etiam de terrenâ Jerusalem, ut typum
gerebat Ecclesiæ, gloria dicta sunt, nempe
quod esset civitas regia, & sacerdotalis, quod
in eâ templum Domini, arca testamenti, & alia
id genus multa servarentur; & præcipue quod
in ea Rex Angelorum, & Dominus omnium
docuerit, miracula fecerit, redemptionem ho-
minum operatus, sepulcrum suum reliquerit,
Spiritum S. de Cælo miserit, & Ecclesiæ suæ
semper duraturæ fundamenta secerit.

¶. 3. Memor ero Raab, & Babylonis, sci-
tum me.

¶. 4. Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus
Æthiopum, hi fuerunt illic.

Laudat nunc sanctam civitatem à varietate
nationum. Ego Deus conditor urbis Jeru-
alem, in advocandis, & conscribendis electis
civibus, *memor ero*, non tantum Judæorum,
sed etiam Raab, h. e. Ægyptiorum, & Babylo-
niorum, qui per fidem, & cultum religiosum
cognoscent me. *Ecce* enim etiam alienigenæ,
h. e. Palæstini, & populus Tyri, ac Æthiopum,
me vocante, & adducente, erunt in civitate S.

Jerusalem. Hoc est : omnes nationes inhab-
tabunt Ecclesiam. Ponit fuerunt pro erunt,
more Prophetico.

¶. 5. *Nunquid Sion dicet homo, & homo
natus est in ea, & ipse fundavit eam altissimus.*

Jam addit præcipuam laudem S. civitatis.
Num fieri poterit, ut homo alius quis dicat Sioni
rem tam admirandam, nempe quod Filius
Dei, qui ut Deus eam fundavit, utpote altis-
simus, in eâ natus sit homo ? cum Christus sit
natus in Bethlehem, non in Sione, per hanc in-
tellige Ecclesiam.

¶. 6. *Dominus narrabit in scripturis popu-
lorum, & Principum : horum qui fuerunt in ea.*

Respondet ad quæstionem. Quod in eâ na-
tus sit homo, Filius Dei. Dominus narrabit in
illis scripturis, in quibus continentur nomina
populorum, & Principum tenatorum in ipsâ
civitate. Per Principes intelligit Apostolos,
quos constituit Dominus Principes super om-
nem terram.

¶. 7. *Sicut latantium omnium habitatio est
in te.*

Hic finis Psalmi continet summam felicita-
tem habitantium in illâ civitate, cuius funda-
menta initio Psalmi descripta sunt. *Sicut &c.*
erit habitatio in cælesti Jerusalem similis habi-

erationi, ubi convivium, vel nuptiæ cum lætitia, & canticis jucundè celebrantur. Impletur hoc etiam in Ecclesiâ militante, qui sunt descripti cives in cælo, omnes spe gaudentes.

PSALMUS LXXXVII.

Titulus: Canticum Psalmi filius Core, insinuem pro Mahælæth, ad respondendum, intellectus Eman Ezraite.

Per Mahælet ali⁹ intelligunt Chorum, ali⁹ instrumentum musicum. Eman Ezraite videatur ille esse, qui cantor dicitur, Paralip. 6., nepos Samuelis, licet & ali⁹ hoc nomine dicti sint.

Sensus tituli erit: anticum Psalmi, filius Core datum ad canendum usque in finem super choros, vel super instrumento, Mahælet dicto, ad respondendum alternatum canendo, in quo explicatur eruditio, sive intelligentia, mysterio plena, Eman Ezraite.

Argumentum Psalmi est *Passio Domini nostri Iesu Christi*,

¶. 1. *Domine Deus salutis mea, in die clamavi, & nocte coram te.*

Loquens in personâ Christi, ut ostendat magnitudinem passionis, variè inculcat illud Christi in cruce, *Dens meus, Dens meus, ne quid dereliquisti me.* Incipit ab oratione ad Patrem: *Domine Deus, à quo salutem exspecto*

per celerem resurrectionem, in die clamavi Eccl.
clamavit in die passionis in cruce; Deus meus,
Deus mens Eccl.; nocte præcedente ter clamavit:
Pater, si fieri potest, transfer calicem hunc à me.

¶. 2. Intret in conspectu tuo oratio mea,
inclina aurem tuam ad precem meam.

Metaphorice petit, ut oratio suà exaudiat-
tur. Intret Eccl. admittatur quali orator qui-
dam ad præsentiam tuam hæc oratio mea; præ-
be illi benignam aurem, ut cum fiduciâ expo-
nat petitionem suam.

¶. 3. Quia repleta est malis anima mea,
Eccl. vita mea inferna appropinquavit.

Hæc apie respondent verbis Christi in cru-
ce, relatis ¶. 1. tunc enim planè repleta erat
malis anima Christi ob ingentes dolores totius
corporis sui, & adstantis Matri sui, & vita
ipsius propinquissima erat morti, & per hoc
inferno, ad quem tunc omnes animæ defun-
ctorum descendebant.

¶. 4. Æstimatus sum cum descendentibus
in lacum: factus sum sicut homo sine adjutorio,
inter mortuos liber.

Retulit dolores corporis, ob quos vicinus
erat morti; jam refert ignominiam, & con-
temptum, quem patiebatur jam mortuus ex
opinione hominum. Æstimatus sum Eccl.,

pu-

putaverunt homines, me descendisse in locum animarum, sicut alii infirmi mortales descendunt, scil. invitum, & coactum: factus sum, opinione hominum insipientium, quasi homo sine adjutorio: id est insultabant dicentes: alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Inter mortuos ego solus liber, ut libere moriar, & libere resurgam a mortuis.

X. 5. Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius, & ipsi de manu tua repulsi sunt.

Pergit explicare opinionem hominum de morte sua. Existimauis sum, sicut alii vulneribus occisi, & in sepulcris jacentes sopore mortis oppressi: quorum tu Deus curam deposuisti, quam de hominibus habes, providendo vivum, vestitum &c., cum amplius non sint inter homines. Et ipsi Eccl. idem dicit, nempe repullos esse à manu providentiae. Christus etiá vulneribus occisus, sepultus, erat alius dissimilis, quia se poterat resuscitare.

X. 6. Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebris, & in umbra mortis.

Loquitur de descensu ad limbum. Posuerunt Eccl. inimici mei, qui me occiderunt, fecerunt, ut descenderem ad inferiores partes terræ secundum animam. Limbum vocat loca tenebra-

brofa, umbram densissimam, qualis est umbra mortis. *Vide Ps. 22. v. 4.*

¶. 7. *Super me confirmatus est furor tuus, & omnes fluctus tuos induxisti super me.*

Duabus metaphoris declarat magnitudinem passionis, *Furor*, h. e. zelus justitiae, quo peccata omnia vindicari volebas, super me non solum effusus est, sed & roboratus, ut inde non recederet, donec plenissima satisfactio existeret. Deinde comparat passionem Christi omnibus fluctibus totius maris, agitibus, & allidentibus ad varios scopulos hominem in mare præcipitatum.

¶. 8. *Longè fecisti nos meos à me; posuerunt me abominationem sibi.*

Addit ad ceteras passiones aversionem notorum ab ipso. *Longè fecisti &c.* permisisti, ut, qui me noverant convertantem inter ipsos, & docentem, longè recederent à me, non credendo me esse Messiam; *Posuerunt &c.* exerabantur me, ut seductorem, samaritanum, dæmoniacum, amicum Publicanorum &c.

¶. 9. *Traditus sum, & non egrediebar, oculi mei languerunt præ inopia.*

¶. 10. *Clamavi ad te Domine tota die, expandi ad te manus meas.*

Explicata magnitudine passionis, redit ad ejus,

ejus, & Psalmi initium. Traditus sum quasi
in carcere em, & conclusus undique in decre-
tam a te passionem, unde egredi non potero;
& ideo oculi mei, lacrimis multis estissis, lange-
ruat, ut quasi seccati sint pra inopia horis.
¶. 10 patet ex . 1. Expansis in cruce manus
meas, ut tanto oblate sacrificio facilis im-
petrarem & mihi celerem resurrectionem, &
corpori meo mystico liberationem a morte
æternâ,

¶. 11. Nunquid mortuis facies mirabilia,
aut medici suscitabunt, & confitebuntur tibi?

¶. 12. Nunquid narrabit aliquis in sepulcro
misericordiam tuam, & veritatem tuam in per-
ditione?

. 13. Nunquid cognoscentur in tenebris
mirabilia tua, & justitia tua in terra obli-
vionis?

Dat rationem, cur Christus a se, & suis de-
preceatur mortem, optans, & petens celerem
resurrectionem. Nunquid mortuis &c. I oratio
mortem, cupio vitam conservari, aut bene
restitui mihi, & fidelibus meis: quia mortuis,
qui non vivunt, nec sentiunt, frustra ostende-
res mirabilia opera tua, quæ tamen mirabilia
honorificum est te facere, & justum est, ut
agnoscantur, & tibi gratiae agantur. Nunquid

medici &c. mortui non solum non vivunt, nec sentiunt, sed neque arte ullâ humanâ suscitatâ possunt, ut sentiant, & vivant, & tibi confitentur confessionem laudis. *Nunquid narrabis* &c. ideo non facis mortuis mirabilia tua, quia illi in se pulcris, jacent sine sensu, & mirabilia tua narrare non possunt, quæ mirabilia sunt misericordiæ, & veritatis tuæ opera. *Perditio hinc*, & *sepulcrum idem sunt*, nam significat admissionem vitæ corporalis. *Nunquid cognoscuntur* &c. ideo non narrabunt mortui in se pulcris mirabilia tua, quia ea nequidem cognoscere possunt, cum degant in tenebris mortis, & in terra oblivionis, ubi nulla est memoria rerum præteritarum, nec sensus rerum præsentium.

¶. 14. *Et ego ad te Domine clamavi, & manè oratio mea præveniet te.*

¶. 15. *Ut quid Domine repellis orationem meam? avertis faciem tuam à me?*

Demonstrat divino decreto confirmatam fuisse Christi passionem, ut mutanda omnino non esset. *Et ego ad te Domine clamavi*, ut nempe calix passionis transiret à me: & manè, h. e. in exortu passionis meæ oratio mea præveniet te. Nox illa, in quâ cœpit Christi oratio in horto, erat quasi aurora passionis. *Ut quid*

quid &c. quare non exaudis, & facis, ut calix
iste transfeat a me? quare avertis &c., cur me
derelinquis? His significatur magnitudo pas-
sionis, quam Christus naturaliter horrebat;
quanquam absolute eam, ut remedium tol-
lendi peccata nostra, omnino elegit. & Pater
eam semper exaudivit in eo, quod absolute
petiit.

v. 16. *Pauper sum ego, & in laboribus
a juventute mea: exaltatus autem humiliatus
sum, & conturbatus.*

Ne putarent homines Christi passionem
trium horarum, aut unius diei tantum fuisse,
ait: *Pauper &c. cum in formâ Dei essem bea-
tus, & dives, propter vos homines egenus fa-
ctus sum, & in laboribus a pueritiâ, in nati-
vitate meâ, ut patet ex stabulo, prælepi, fugâ
in Agyptum, in constanti memoria futuræ
passionis. Exaltatus autem in cruce, velut in
solio Regni, habens super caput scriptum ti-
tulum, *Iesus Nazarenus Rex Iudæorum, hu-
miliatus sum usque ad monem, & conturbatus
ob cœcitatem, & ruinam populi mei.**

v. 17. *In me transferunt ira tua, & terro-
resti conturbaverunt me.*

Dat causam, cur exaltatus humiliatus sit.
In me transferunt ira tua, quæ super iniquos.

casuræ erant : Et terrores tui, quibus iniqui
per collendi erant, conturbaverunt me. Ideo in
horto cœpit pavere, tædere, mæstus esse, quia
terrores Dei conturbabant eum, ut qui pro
peccatis totius Mundi divinæ justitiæ erat sa-
tisfactus.

v. 18 *Circumdederunt me sicut aqua tota
die, circumdederunt me simul.*

Declarat iram illam, & terrores Dei fuisse
instar maris deglutientis, & absorbentis ho-
minem. Illud tota die significat undique, &
semper me opprimebant, & absorbabant.
Idem repetit, dicens : *Circumdederunt me
simul.*

v. 19. *Elongasti à me amicum, & proxi-
mum, & notos meos à miseria.*

Hoc demum ad cumulum malorum acce-
debat, quod solus calicem illum amarum bi-
bere opus illi erat, nullo particeps, & socio
tanæ calamitatis. *Elongasti tempore passionis
à me amicum, & proximum, nempe Judam,*
qui longissimè ab eorecessit factus proditor, &
hostis ex amico, & proximo. *Et notos meos,*
nempe Apostolos, *elongasti à miseria mea:*
nam, relicto eo, omnes fugerunt. *Et licet po-*
stea mulieres, & Joannes accesserint, hi dolo-
rem non minuebant, sed augebant.

PSAL-

PSALMUS LXXXVIII.

Titulus : *Intellectus Ethan Ezrae.*

De Ethan Ezra ita fit mentio 3. Reg. c. 4.
ubi is ponitur inter viros sapientes. Est etiam
Ethan unus ex Principibus Cantorum 1. Para-
lip. 6. Verum an isti sint unus, & idem, an di-
versi; & si diversi, quis eorum in hoc titulo po-
natur, incertum est.

Argumentum est, desiderium populi Dei, in
captivitate posuit, ut citio Christus, tanto ante
promissus, adveniat. Itaque a 1. ad v. 37.
explicatur promissio facta Davidis de perpetuitas
te Regni ipsius. Dein a v. 37. ad 45. ostendit
ur eam promissionem non fuisse impletam in
filis carnalibus, & Regno temporali Davidis.
Demum a 45. ad finem ponitur desiderium.
& oratio, ut promissio impleatur in Christo, ve-
ro, & sempiterno Rege, de quo intelligenda erat,
non autem de terreno Regno; atque hoc admo-
net vox Intellectus intitulo posita.

**V. 1. Misericordias Domini in eternum
cantabo.**

Hæc est propositio, & argumentum totius
Psalmi. Cantabo micericordias Domini stabi-
les, & firmas, h. e. beneficia misericorditer
promissa, quæ nunquam deficiunt. Illud in
eternum pertinet ad nomen misericordias. ut
sen-

sensus sit, aeternas misericordias cantabo.
Vide v. 3.

v. 2. *In generationem, & generationem,*
annuntiabo veritatem tuam in ore meo.

Repetit, & explicat v. priorem. Ego ideo
cantabo fidelitatem Domini in servandis pro-
missis, quæ in generationem, & generationem
permanebit. Illud *in generatione non in generationem* non ad verbū *annuntiabo*, sed ad no-
men veritatem pertinet.

v. 3. *Quoniam dixisti, in aeternum miseri-
cordia adificabitur in Cælis; preparabuntur veri-
tas tua in eis.*

Probat, misericordiam, & veritatem Dei
æternam esse, seu in æternum duraturam. Ego
cantabo misericordiam, & veritatem tuam,
quæ in æternum erit, quoniam tu dixisti, &
mihi Prophetæ tuo revelasti: *In aeternu non in generatione*,
beneficia misericorditer Davidi promissi-
firma, & stabilia erunt, ut ædificium immobile,
quod nullâ temporum duratione destrui potest.
In Cælis autem hoc misericordiæ ædificium
erit, ubi sunt omnia æterna. *Preparabuntur* &
fidelitas tua, quâ impletæ promissa, non poterit
ab ullâ creaturâ impediri, quia in cælis stabili-
tur, & cælis sim̄ is eit, quod permanent in sæcu-
lum sæculi.

v.

¶. 4. *Disposui testamentum electis meis: juravi David seruom meo, usque in æternum præparabo semen tuum.*

¶. 5. *Et ædificabo in generationem, & generationem sedem tuam.*

Explicat misericordiam fideliem, seu promissionem factam Davidi, quæ resertui 2. Reg. 7. *Disposui Ec. percussi fœdus cum populo meo el. &c;: promisi cum juramento Davidi Principi populi electi: hoc erit pactum juratum, ut stabiliam sobolem ejus usque in æternum, ut nunquam desit filios aliquis Davidi. Ædificabo Ec. multiplicabo tempora Regni tui in æternum. Hæc omnia sine dubio in Christum solum convenient, qui futurus erat de semine David, & regnaturus in æternum.*

¶. 6. *Confitebuntur Cæli mirabilia tua Domine, etenim veritatem tuam in Ecclesia Sanctorum.*

Exposita summâ promissionis Dei, antequam fusiùs illam explicet, excurrit in laudes ejusdem Dei, ut offerat sacrificium gratiatum actionis. *Confitebuntur Ec. ego non sum partantæ laudi, quanta tibi pro hac re debetur, sed Angeli habitantes in Cælis laudabunt admirabilem misericordiam tuam, etiam veritatem, & fidelitatem tuam in cœtu Ss. Angelorum, qui tibi semper assistunt.*

¶.

¶. 7. *Quoniam quis in nubibus aequalabitur
Domino: similis erit Deo in filiis Dei?*

Probat Angelos non reculaturos officium, laudandi Deum, utpote Deo inferiores. *Quoniam quis Eccl. nullus eorum, qui super nubes exi degunt, Deo aequalis erit, omnes servi ipsius;* dein idem dicit, & vocat Angelos Dei filios.

¶. 8. *Dens qui glorificatur in consilio Sanctorum magnus, & terribilis super omnes, qui in circuitu ejus sunt.*

Ostendit, verè nullum Ss. Angelorum conferti posse cum Deo: quoniam *Dens est, qui in cœtu supernarum potestatum gloriosus agnoscitur;* & *magnus est potentia;* & *li-
pien-
tiā.* & ideo reverendus, & metuendus super omnes Angelos, qui in circuitu Eccl. h. e. qui cum undique alpicunt.

¶. 9. *Domine Deus virtutum quis similis tibi potens es Domine, & veritas tua in circuitu tuo.*

Dicit idem, sed Deum alloquendo, *Tu, Domine, es Deus exercitum, scil. multorum milium Angelorum, quorum nullus tibi perfectè similis est, quia n. solus omnia potes facere, & veritas tua Eccl. & etiam re ipsa facis, quod promitti te factum, fidelis es enim*

in omnibus verbis tuis. Veritas, h. e. veracitas, & fidelitas est in circuitu Dei, quia est velut cingulum Dei; Isa. 11. v. 5. ut cingulum adstringit vestes, ut corpori firmaret adhaerant, sic veracitas adstringit verba promissionum, ut non inutentur, sed implentur.

v. 10. Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum ejus tu mitigas.

Dixetat Deum esse potentem, quod probat ex dominio ejus in mare. Hoc aliquando horrendum in modum fremit, & fluctus suos usque ad caelum extollere videtur, ideo creatoris omnipotentia in eis, sedando, & compescendo cernitur. Vide Job. 38. v. 10. & 11. Patuit hoc dominium principiū in mari tubro Exodus. 14.

v. 11. Tu humiliasti sicut vulneratum superbum, in brachio iuratus in dispersisti inimicos tuos.

Hæc restè subiunguntur v. priori, & videtur intelligenda de Pharaone, & exercitu ejus, vide Isa. 51. v. 10. Tu humiliasti superbum, dejiciens illum in profundum maris, humiliasti autem illum nullo negotio, ut facillime prostermitur gravi et vulneratus. Brachio tuo potentissimo dispersisti per mare rubrum inimicos tuos, nempe exercitum Pharaonis.

¶. 12. *Tu sunt celi, & tua est terra, orbem
serrarum, & plenitudinem ejus tu fundasti
Aquilonem, & mare tu creasti.*

Docet, non esse mirum, si Deus tam facile
compeluit mare, & humiliavit superbum,
quia est omnium Creator, & Dominus. *Tu
sunt celi, & omnes habitantes in eo ; tua est
terra, seu mundus inferior, & quidquid in eo
est : nam tu orbem terrarum a fundamentis
fecisti, nullo praesupposito fundamento, ab
alio architecto constituto. Tu fundasti orbem
cum omnibus suis partibus. Per Aquilonem
ventum intellige septentrionem, per mare par-
tem australem : nam mare oceanum maximè
jacet ad austrum.*

¶. 13. *Thabor, & Hermon in nomine tuo
exultabunt : tuum brachium cum potentia.*

Nunc addit orientem & occidentem, sed
more poetico. Thabor, & Hermon sunt mon-
tes Palæstinae, unus ad orientem, alter ad oc-
cidentem. *Teabor &c. oriens, & occidens a te
creau exultabunt, h. e. in laudes tuas suo more
protulipent, obtam insigne beneficium crea-
tionis. Tuum brachium &c., ex omnibus jam
dictis coll gimus, tuum brachium esse omni-
potens.*

¶. 14. *Firmetur manus tua, & exaltetur
dex-*

dexterata, justitia, & judicium preparatio
sedis tue.

Laudavit & S. Dei potentiam, & veritatem
priorum hucusque explicuit, nunc agit de veri-
tate, quæ etiam justitia, & judicium dicitur.
Firmetur &c., opro quidem, & gaudeo, quod
manus tua roboretur, seu potens sit, eadem-
que laudetur, & magnificetur ab omnibus, ut
et quum est: sed simul misericordia, & justitia
præparent, ornent, stabiliant thronum tuum.
Per justitiam hic recte intelligitur misericordia,
ut patet ex & seq.

¶. 15. Misericordia, & veritas præcedent
faciem tuam: beatus populus, qui scit jubila-
tionem.

Misericordia, & veritas, h. e. justitia præce-
dent faciem tuam, ut præparent sedem tuam,
cum ad judicandam venieris, h. e. certi sumus,
te non judicaturum, nisi justissime, & præmissâ
misericordiâ, ut minus invenias, quod punias,
& fideliter redias unicuique secundum opera
eius. Beatus &c. docet in populo Dei, & in
personâ Davidis maximè locum habere poten-
tiam, misericordiam, & justitiam Dei. Verè
præ omnibus populis felix est populus Israelit-
icus, qui scit per notitiam, & experientiam has
Dei laudes, & scit magno affectu Deum lau-
dare.

¶. 16. Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in iustitia tua exaltabuntur.

Explicat, quare beatus sit populus, qui scit jubilare. Quoniam homines ejus populi, non ambulabunt in tenebris, sicut gentes, quae Deum ignorant; sed converti ad Deum in lumine vultus Ei. Lumen vultus Dei est illuminatio intellectus per notitiam legis Dei, cum favor gratiae, quae inflamat affectus: Lux enim illuminat, & calefacit: Et in nomine tuo Eccl. ex ista ambulatione sequitur constans laetitia bona conscientiae, & gratiarum actio. Et in iustitia Eccl. qui ita ambulat, quotidie magis proficiunt, & ascendunt ad maiorem Dei nouitiam, & amicitiam; & inde donis majoribus cumulantur.

¶. 17. Quoniam gloria virtutis eorum est, & in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.

Pergit humiliare superbiam hominum, tribuendum sibi, quae Dei sunt. Dixi: in iustitia Dei exaltabuntur, quoniam tu es robur eorum, unde proficiunt, & ascendunt; unde in te solo gloriari debent. Et in bona voluntate tua erga nos, a qua bona omnia procedunt; fortes erimus contra inimicos nostros.

¶. 18

¶. 18. *Quia Domini est assumptio nostra,
& sancti Israel Regis nostri.*

In hoc apparuit beneplacitum Dei, quod ex omnibus populis terrarum placuit ei assumere Israel in populum peculiarem, ac Rex noster esse voluit. Dicitur Deus *Sanctus Israelis*, quia ab hoc populo peculi riter sanctificari, h.e. *Sanctus haberi*, & dici, nec ullo modo blasphemari voluit.

¶. 19. *Tunc locutus es in visione sanctis tuis, & dixisti, posui adjutorium in potente,
& exaltavi electum meum de plebe mea.*

Hæc, & sequentia videntur ad liberam exponenda de Davide, sed implenda magnâ ex parte per Christum. *Tunc*, quando assumpseras Israel in populum peculiarem, providisti etiam Regem: nam locutus es in revelatione sanctis tuis Prophetis, Samueli, Nathan, & dixisti: constitui auxilium populo meo in homine forti ad resistendum inimicis ejus, quia eum de omni plebe meâ electum exaltavi in Regem, ac defensorem populi.

¶. 20. *Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxiem.*

Explicat, quis sit ille vir potens, ac dicit esse ipsum Davidem, quem invenit dignum, qui eligeretur, & in Regem ungeretur à Samuele,

G 3

Deus

Deus invenit, h. e. non casu eligit, sed facit
sine labore inquirendi, quod faciunt homi-
nes post longam, & maturam inquisitionem.

¶. 21. Manus enim mea auxiliabitur ei, &
brachium meum confortabit eum.

¶. 22. Nihil proficiet inimicus in eo, & si-
lens iniquitatis non apponet nocere ei.

¶. 23. Et concidam à facie ipsius inimicos
eius, & odientem in fugam convertam.

Hæc de Davide utcunque, de Christo verius
exponuntur. David etsi sæpius Dei ope hostes
vicerit; in eo tamen profecit, h. e. eum dece-
pit inimicus Dæmon perducendo ad adulter-
rium, homicidium; profecit Absolon expel-
lendo è Regno, & ad fugam compellendo.
Sed manus, & brachium Domini, quod est ip-
sum Dei verbum, potentia, & sapientia Patris,
ita corroboravit humanitatem Christi, ut nihil
in eo homine proficere potuerit ullus inimicus.
Passus est, sed voluntariè, & hæc ipsâ passione
Diabolum vicit glorioſissimè, & captivos illi
cripuit. Judæos quoque, inimicos Christi, vi-
demus hodie dispersos per orbem terrarum,
quasi exercitum fusum, & fugatum.

¶. 24. Et veritas mea, & misericordia mea
cum ipso, & in nomine meo exaltabitur cornu
eius.

Hæc

Hæc in Davide vix adumbrata, in Christo perfectissimè implera sunt. Misericordia Dei cum Christo fuit assumpcio humanitatis, quæ unio ne morte quidem distuppi potuit. Veritas in eo fuit, quod Deus fideliter implevit illud *Luc. 1. Regni ejus non erit finis, exaltatio cornu, seu potentiae in eo est, quod in nomine ipsius omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum.*

v. 25. *Et ponam in mari manum ejus, & in fluminibus dexteram ejus.*

Hæc Christo convenient, non Davidi, nisi forte ratione Christi, filii ejus. Promittitur hic potestas in *mare, flumina, h. e. in totum terratum orbem, cuiusmodi potestatem David nunquam habuit.*

v. 26. *Ipse invocabit me, Pater meus es tu, Deus meus, & suscepior salutis mea.*

David nunquam Deum invocat sub nomine Patris; unde hæc Christo convenient. *Ipse invocabit me, Pater meus es tu, quoad Divinitatem; Deus meus, quoad humanitatem, suscepтор salutis mea, quoad mortalitatem.*

v. 27. *Et ego primogenitum ponam illum, excelsum pre Regibus terra.*

Christus, qui secundum Divinitatem *Unigenitus, secundum humanitatem primogenitus.*

ius est primò in prædestinatione: in illo enim velut in capite Deus nos prædeditiavit; secundò quia primus est in secunda generatione ad vitam immortalem, sic dicitur primogenitus mortuorum: tertiò quia ipse habuit jura primogenitorum, quem constituit Pater hereditatem universorum. Nec solum posuit eum Pater primogenitum, sed & Principem Regum terræ.

¶. 28. In æternum servabo illi misericordiam meam, & testamentum meum sive ipse.

Hanc Regni æternitatem non habuit David, nisi ratione solius Christi. In æternum Eccl. misericordia, quâ illum elegi ante sæcula, ut esset Filius Dei in virtute, primogenitus, & excelsus præ Regibus terræ, semper manebit, quia unio hypostatica nonquam dissolvetur. Et pactum meum cum ipso de stabiliendo Regno ejus in æternum, fideliter semper observabitur.

¶. 29. Et ponam in seculum seculi semen ejus, & thronum ejus sicut dies cali.

Modus conservandi Davidi misericordiam in æternum erit hic: quia dabit illi semen, h. e. filium Christum, qui manebit, & regnabit in seculum sæculi, & sic thronus ejus, h. e. Regnum Davidis nonquam finem habebit; sed tempora ejus erunt, sicut dies cali, h. e. sicut tem-

tempus, quo cælum durabit, quod quidem
æternum est.

¶. 30. S autem dereliquerint filii ejus legem
meam, & in iudicis meis non ambulaverint.

¶. 31. Si iusti us meas profanaverint, &
mandata mea non custodierint.

¶. 32. Visuabo in uirga iniquitates eorum,
& in verbis peccata eorum.

¶. 33. Misericordiam autem meam non
dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea.

¶. 34. Neque profanabo testamentum
meum, & quæ procedunt de labiis meis, non
faciam irrita.

Præoccupat objectionem, ac dicit: si filii
Davidis itam Domini male vivendo provoca-
verint, ipios quidem peccantes puniendo cor-
ripiet, non tamen irritum faciet, quod iure-
jorando promisit. Si autem dereliquerint filii
ejus, Davidis posteri, legem meam, sive judi-
cialem, sive ceremonialem, sive moralem.
Hæc verba, Et in iudicis &c. agunt de lege
judiciali; hæc, si iusticias &c. de lege ceremo-
niali; hæc, & mandata &c. de lege moralis.
Visuabo &c. non relinquam eorum scelera im-
putata, sed paternè castigabo. Misericor-
diam &c. non ob scelera filiorum, removabo
a patre beneficium, quod misericorditer pro-
misisti.

G §

misisti.

mis. *Neque nocebo in veritate mea, h. e. veritati meæ, sive non offendam veritatem meam, cui utique nocerem, si irritum facerem, quod promisi. Neque profanabo, non polluam pactum meum, illud non servando. Et quæ procedunt Ec. non irritabo promissa mea.* Secundum sensum literalem, filii Davidis sunt ejus posteri carnales; si per Davidem intelligas Christum, filii ejus erunt Christiani.

V. 35. Semel juravi in sancto meo, si David mentiar, semen ejus in æternum manebit.

V. 36. Et thronus ejus sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum, & testis in cælo fidelis.

Ratio, cur velit stabilitate Davidis Regnum, et filii peccaverint: quia *semel*, h. e. immutabiliter juravi per sanctitatem meam. *Si David mentiar, hoc est, non Davidi mentiar.* Tum subdit juramentum: *Semen ejus Ec. filius ejus Christus in æternum vivet, & Regnum ejus sempiternum erit.* Juratam promissionem illustrat similitudine Solis, Lunæ plenæ, & arcus cælestis: his significat Regnum, seu Ecclesiam Christi fore semper illustrem, & perspicuam, non obscuram, seu invisibilem, ut somniant Hæretici. Nihil enim clarius, & pulcrius, quam Sol de die, & Luna plena de nocte,

noëte, & in nubibus arcus cælestis, qui cæstis est fidelis à Deo hominibus datus, nunquam amplius fore diluvium aquarum. Postò Regnum Christi in communè prosperitate lucet, ut Sol in die undique sereno; in communè perfectione fulget ut Luna plena in tenebris noctis: ubi admodum xta est persecutioi prosperitas, simile est Iridi in nubibus.

¶. 37. *Tu vero repulisti, & despexisti, dissipasti Christum tuum.*

In hâc alterâ parte Psalmi Propheta in personâ populi captivi, orat pro implendâ promissione; quam etsi juramento firmaverit, vult tamen rogari, ut eam impleat. Orat autem, quasi admonendo Deum, quod differendo non videatur velle servare pactum, & iuramentum. *Tu vero promisisti bona, nunc vero reddis mala, quia repulisti nos à protectione tuâ, & despexisti nos, quos magni facere videbatur; elongasti à te Regem populi tui, Iechoniam nempe, & Sedeciam, qui captivi ducti sunt in Babylonem.*

¶. 38. *Evertisti testamentum servi tui, profanasti in terra sanctuarium ejus.*

Explicat, quomodo Deus repulerit, & despicerit populum suum. *Evertisti, b. e. videbatis retractare pactum initum cum servo tuo.*

Da-

David, quasi nolles ejus Regnum esse perpetuum. Perim serat Deus totam Palæstinam occupati ab Assyriis. Interim promissio Dei non erat intelligenda de Regno terreno, sed spirituali, & cælesti. Profanasti projiciendo in terram sacrum diadema ejus. Hoc contigit, de turbatis de solio Jechoniâ, & Sædeciâ.

¶. 39. *Destruisti omnes sepes ejus: posuisti fundamentum ejus formidinem.*

¶. 40. *Diripuerunt eum omnes transeuntes viam, factus est opprobrium vicini suis.*

Tu Deus nos protectione, & ope tuâ destituens, in causâ fuisti, ut, instar vineæ destruæ sepe, diriperemur ab hostibus Assyriis, & quidem sæpius: fecisti, ut, alias fortissimi milites, te deterente, facti sunt timidi, & imbelles, ut hostibus nullo modo resistere possent. Diripuerunt populum Dei hostes, ut diripiunt vineas omnes transeuntes per viam, disjectis sepibus, vel maceriis. Indè factum est, ut omnes vicini irrideant populum Dei, qui nulli hosti resistere valeat.

¶. 41. *Exaltasti dexteram deprimentium eum, latificasti omnes inimicos ejus.*

¶. 42. *Avertisti adjutorium gladii ejus, & non es auxiliatus ei in bello.*

Pergit narrare calamitates populi Dei, in quas

quas incedit desertus à Deo. Exaltasti, iuristi, roborasti hostes, ut facilitus deprimetur populum tuum. Inde verò secuta est letitia magna apud hostes ob tam facilem victoriam. Contrà verò avertisti adjutorium tuum à gladio ejus, nempe Regis, vel exercitus populi tui. Jam dicit idem clarius: Non es auxilius in bello; ideo Reges Iuda resistere nequierunt Assyriis hostibus suis.

¶. 43. *Destruisti eum ab emundatione, sedem ejus in terram collisisti.*

Posterior pars priorem obscuram explicat. *Destruisti, cecidere fecisti, spoliasti Regem vestibus Regiis, quæ mundissimæ, & splendidissimæ erant; & thonum Regnie ejus detraxisti in terram, & confregisti.*

¶. 44. *Minorasti dies temporis ejus: perdidisti eum confusione.*

Hæc est ultima, & principali calamitas, quod, cum Dei promisisset Davidi Regnum in perpetuum, jam videretur illam promissa in æternitatem ad brevissimum tempus contrariaisse: nam illud Regnum temporale Davidis in Iechoniâ, & Sedeциâ finitum est; indè repletus est David in posteris suis confusione.

¶. 45. *Usquequò Domine avertes in fine non exardeceris sicut ignis iratus.*

Hic

Hicjam incipit oratio pro acceleratione adventus Messiae, ut impleatur promissio iurata Dei. Usquequo, quamdiu avertes faciem tuam in finem, usque ad ultimam perniciem, sine ipsis reconciliationis? quamdiu ex ardeceret indignatio tua, sicut ignis, qui non cessat, donec omnia in cinerem redegerit?

¶. 46. Memorare, qua mea substantia, nunquid enim vane constitueristi omnes filios hominum?

¶. 47. Quis est homo, qui viveret, & non videt mortem? eruet animam suam de manu inferi?

Ex brevitate hujus vitae desiderat illam aeternam, ideoque Deum rogat, ut citò mittat Messiam. Memorare, quam brevis, & aeternitudo sit sublentia mea in terris. Num creasti homines, ut solùm hanc vitam viverent, tam brevem, tam aeternis plenam? id enim esset frustra condidisse genus humatum, si nulla ejus pars finem ultimum attingeret. Quis est &c. quod sit brevis, & aeternitola haec vita, ex eo patet, quia nemo potest mortem evadere. Nemo erner animam suam de manu inferi? nam infelix nullo discrimine omnes mortales ad se trahit.

¶. 48. Ubi sunt misericordiae tuae antiquae
Dox

Domine, quas jurasti David in veritatetua

Hic apertius à Deo exorat impletionem promissionis. *Ubi sunt* promissiones ex misericordia tuā magnā olim factæ Davidi, quas etiam juramento confirmasti, per ipsam tuam veritatem jurans, ac dicens; *Semen ejus in aeternum manebit, Et thronus ejus, sicut dies cœli?*

¶. 49. *Memor esto Domine opprobrii seruorum tuorum, quod continui in sinu meo multarum gentium.*

Alia ratio, cur tanto affectu petat aduentum Messie; quia infideles exprobrare non cessabunt populo Dei, quod frustra speraverit Regem æternum ex semine David. *Memor esto Domine vituperationis, quam patiuntur servi tui ab infidelibus: quod opprobrium, à multis gentibus mihi objectum, ego populus tuus in sinu meo continui, h. e. tunc, ac dolens tuli, quia non poteram ostendere promissionem Dei impletam, vel brevi, acceptò implendam.*

¶. 50. *Quod exprobraverunt inimici tui Domine, quod exprobraverunt communione Christi tui.*

Hoc est opprobrium, quod portabat in sinu suo, quod inimici Domini exprobrarent populo Dei, qualem compensationem habuisset David à Deo pro tam amplis promissis, destructionem nempe Regni sui.

¶.

¶. § 1. *Benedictus Dominus in aeternum: fiat, fiat.*

Conclusio satiis docet, Prophetam intellexisse, promissionem factam Divi stabilem, & immam fuisse, & omnino implendam tempore suo. *Benedictus Eccl. laus, & gratiarum actionem semper Domino deferatur; quoniam justus est in omnibus verbis, & sanctus in omnibus operibus suis. Fiat, Fiat, live Amen, Amen, h. e. opro, ut fiat, sed Deus benedicatur in aeternum. Arque hic est finis liberti tertii secundum Hebratos.*

PSALMUS LXXXIX.

Titulus: *Oratio Moysi homini Dei. Inscribitur Psalmus Moysi, quod ipsum loquenter inducat, qui scripsit creatorem mundi, peccatum primorum parentum, & penas inferatas.*

Argumentum est oratio ad Deum pro humano genere, quod ob peccatum originale in maximis incidit calamitates; & auxilio gratiae assidue indiget, tum ut erramus hujus vita fuit in tolleret, tum ut ad gaudia eterna perveniat;

¶. 1: *Domine refugium factus es nobis, à generatione in generationem.*

Oreditur à gratiarum actione pro acceptis beneficiis, quæ est via obvniendi nova be-
ne-

neficiā. Domine fatemur nos variis periculis esse obnoxios; sed te protectorem experti sumus à generatione Sc. h. e. omni tempore.

v. 2. Priusquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis: à seculo; & usque in saeculum tuus Deus.

Docet, Deum semper potuisse esse refugium sperantibus in eum, quia ipse semper est, nempe & quæ potens, sapiens, & benignus. Priusquam Sc. non solum ante montes, ante terram, puta incultam, & desertam; ante orbem, h. e. terram cultam, & habitabilem, sed etiam es ab æterno in æternum. Non dicit eras, eris sed es, ut ostendat veram æternitatem Dei, quæ est duratio immutabilis.

v. 3. Ne auertas hominem in humilitatem, & dixisti, convertimini filii hominum.

Incipit orate Deum, ne sinas humatum genus petire. Ne sinas averti humanum genus à lumine vultus tui ad extremam abjectionem, ut oblitum veri boni sectetur caduca, & pereat. Et dixisti, h. e. nam dixisti, hortatus es homines ad pœnitentiam tum per Prophetas, tum per internas inspirationes.

v. 4. Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesterna, qua prateriuit.

¶. 5. *Et custodia in nocte, quæ pro nihilo
habentur, eorum anni erunt.*

Describit abjectionem hominis post Adæ
peccatum ex brevitate vitæ comparatæ cum
Dei æternitate. In vilitatem maximam con-
versi sumus, quoniam tu quidem æternus es,
ita ut apud te mille anni sint velut una dies,
quæ statim præterit, aut velut una nocturna
vigilia, quæ tribus horis absolvitur. Homi-
num autem, qui ad tuam imaginem creati, &
ideo semper vivere deberent, anni post pecca-
tum numerantur inter ea, quæ pro nihilo haben-
tur, h. e. sunt brevissimi, ac pene nulli.

¶. 6. *Manè sicut herba transcat, manè flo-
reat, & transcat: vespere decidat, induret, &
arescat.*

Comparat annos vitæ cum sceno. Manè,
primâ parte diei homo quasi herba virens ap-
parebit in pueritiâ, & non ibi sister, sed mox
transibit. Manè item in eâdem parte diei flo-
rebit in juventute, & nec ibi consister, sed mox
transibit. Vespere in alterâ parte ejusdem diei
decideret in virilitate, flore scil. juveniis caden-
te; indurabitur in senectute, amissâ vigore vi-
rilitatis, & aresceret in morte, siccato humore
vitæ. Illud transcat, floreat &c, hebraicè est
transibit, florebit &c.

¶.

¶. 7. *Quia defecimus in ira tua, & in furore tuo turbati sumus.*

Dicit, causam brevitatis vitæ nostræ esse iustissimam iram Dei, quam iniquitas humana succedit. *Defecimus*, mortales effecti sumus, quia irritavimus iram tuam, & conturbati sumus mortis horrore ob futorem tuum, qui securi antea vivebamus. Deus furit, irascitur impropriè, h.e. non parcit peccatori, sed punit.

¶. 8. *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo : seculum nostrum in illuminatione vultus tui.*

Dixerat, causam brevitatis vitæ nostræ fuisse iram Dei; jam dicit, causam iræ Dei fuisse peccatum originale, quod vocat *nostras iniquitates* quia nobis commune fuit, & plutes malitias in se continet. *Posuisti* ante conspectum tuum peccata nostra : *seculum Ec.* idem est: iniquitates vitæ, seu temporis nostri luce vultus tui detecti, ut earum turpitudo nota esset, & justè puniretur.

¶. 9. *Quoniam omnes dies nostri defecerunt ; & in ira tua defecimus.*

Quod Detis viderit, & condemnaverit peccata nostra, pena ipsa mortis nobis inficta demonstrat. Quoniam omnes dies nostri abi- erunt, ut nulli jam supersint; imò & nos tunc

illis consumpti sumus. Si Adam non peccasset, fluxissent dies, sed fluere non cessassent, nec nos cum illis detecissemus.

¶. 10. *Anni nostri sicut aranea meditabuntur; dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni*

¶. 11. *Si autem in potentatibus, octoginta anni, & amplius eorum labor, & dolor.*

Dixit, mortem esse pœnam peccati; jam addit, vitam ipsam esse miseram, & brevem. *Anni nostri, h. e. tempus vitæ nostræ exercetur in vanis laboribus, doloribus, timoribus, suspicionibus in temporalibus bonis procurandis, & talibus malis avertendis, sicut aranea exercetur in texendis retibus, omni re fragilioribus, non sine propriæ substantiæ consumptione. Dies annorum nostrorum in ipsis, h. e. tempus vitæ nostræ in se ipso conclusum, ac definitum, non transcendit ultra 70. annos; & in robustoribus usque ad 80.; & si quid ultra sit, erit ætas infirma, variis malis, & æromnis obnoxia.*

¶. 12. *Quoniam supervenit mansuetudo, & corripiemur.*

Quoniam pro veruntamen, vel certè ex labore, & dolore senseturis hoc boni consequimur, ut, deposito fastu juvenili, humiliemur,

&

& mansuetamus, ac inde corripiamur, discamus subjecti esse Deo, & id parum temporis, quod luperest, in ejus timore & amore consumere.

V. 13. *Quis novit potestatem irae tuae, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?*

Ex gravitate pœnæ infictæ peccato Adæ colligit severitatem iræ Dei adversus peccata. Quis cogitando poterit assequi, quanta sit vis, & efficacitas iræ tuæ, Domine? quis poterit tantum timere, quantum timendus es, & juxta hunc timorem mensurare magnitudinem iræ tuæ?

V. 14. *Dexteram tuam sic notam fac, & eruditos corde in sapientia.*

Incipit orare pro genere humano, ut, sicut Deus illud juste punivit pœnâ mortalitatis, ira misericordie respicere, & adjuvare dignetur in hujus vitæ mortalis peregrinatione. Fac Deus, ut jam tandem inndescat nobis dextera tua, quâ nos per gratiæ tuæ munera suscipias, & sustentes. Et simul notos fac nobis homines &c. Prophetas, Apostolos, qui habebant cor verâ, non falsâ hujus mundi sapientiâ eruditum.

V. 15. *Converte Domine usquequò, & deprecabilis es super servos tuos.*

Idem rogat. Tu, Domine, avertisti à nobis

faciem tuam, iratus nobis propter peccata nostra; sed aliquando tandem placatus convertere ad nos, & respice nos oculo benignitatis tuæ: & sine te exorari à servis tuis, quos ipse formasti, & alis, ac sustentas in obsequium tuum.

¶. 16. Repleti sumus manè misericordia tua, exultavimus, & delectati sumus omnibus diebus nostris.

¶. 17. Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti, annis, quibus vidimus mala.

Hæc pertincent ad tempus patiæ. Initio veræ illius diei, quo Solem justitiae aspicere cœpimus, repleti sumus magnâ illâ misericordiâ tuâ, quæ nullum lacum misericordiæ relinquit. Ideo exultavimus &c. hoc restat beatis, & liberatis à malis omnibus, ut exultantes laudent Deum, cõque fruuntur. Etiam lætati sumus pro diebus &c. & pro annis &c. nam dulciora sunt bona post experientiam malorum, & ipsa patientia in malis hæc nobis tanta bona promeruit.

¶. 18. Respice in servos tuos, & in opera tua, & dirige filios eorum.

Postquam perivit summum bonum, quod est finis ultimus hominis, & actionum nostrorum, jam petit media, seu gratiam b. ne ope-

188-

randi. *Respice, illumina servos tuos, & accende ad amorem tuum : & respice in opera bona, quæ tu operari cœpisti in illis.* Respice etiam in filios servorum tuorum, seu naturales, seu spirituales, ut omnes te dirigente, in viâ mandatorum perseverent, & tandem salventur.

v. 19. *Et sit splendor Domini Dei nostri super nos, & opera manuum nostrarum dirige super nos : & opus manuum nostrarum dirige.*

Idem petit aliis verbis, ut ostendat, se valde optare, quod petit. *Sit splendor Eccl. & respice idem est : Deus ut Sol respiciendo illuminat. Et opera Eccl. tu præsidens nobis, fac, ut recte operemur, legem tuam semper sequendo. Et opus manuum nostrarum perseveranter dirige.* Ostendit opera omnia revocari ad unum opus, quod est radix omnium, tempore opus charitatis.

PSALMUS XC.

Titulus: *Laus Cantici David. In Hebreis, & multis codicibus græcis hic titulus deest : putatur autem postea additus, ut intellegeremus, Psalmum à Davide fuisse compositum, non à Moyse, cuius mentio fit in Psalmi præcedentis titulo.*

Argumentum Psalmini est cohortatio ad fidu-

ciam in Dei auxilio firmissimè collocandam. Id enim in principio ponitur, & per totum Psalmum variis rationibus confirmatur.

Forma Psalmi est dramatica: nunc enim loquitur Prophet a, nunc homo justus, nunc ipse Deus. Psalmus est plenus metaphoris, & ideo non minus elegans, quam difficilis. Cum Psalmus hic sit valde uilis, & ad mores formandos accommodatus, enī Ecclesia, quotidie in officio divino frequentat, idque ad initium noctis, ut, Deo protegente, nocturna pericula, hoc armati clypeo propulsemus.

¶ 1. *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei celi commorabitur.*

Quicunque, sive dives, sive pauper &c, fiduciam firmam, ac constantem collocat in adjutorio Altissimi, spe suâ non frustrabitur, sed omnino a Deo protegeretur. Dicitur Deus Altissimus, h.e. in altissimo loco sedet, & videt omnia nostra pericula.

¶ 2. *Dicet Dominus, susceptor meus es tu, & refugium meum, Deus meus, sperabo in eum,*

Probat factam propositionem testimonio justi confidentis in Deo, qui de experimento suo testatur. Confitebitur Domino beneficium protectionis acceptum; & hoc est primum, dum Deus hominem lapsum, & ad gehennam

ru-

ruentem suscipit; & hujus susceptionis signum est, si homo post lapsum jam resurgat humilior, fortior, & cauter. *Et refugium meum.* hoc est alterum beneficium, quod Deus ipsi erit in omni tentatione refugium optimum, atque firmissimum. *Tertium beneficium, & maximum,* *Et Deus meus,* seu summum bonum, quod erit in celo. His tribus beneficiis animatus justus concludit, *sperabo in eum in omni periculo, & temptatione.*

¶. 3. *Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium. Et a verbo aspero.*

Vir justus, qui dixerat, *sperabo in eum,* subiungit, *quoniam ipse liberavit* &c. Per laqueum venantium intellige primò insidias, & fraudes malorum hominum. & tunc verbum asperum est ipsum detrimentum temporale, quod inde sequitur: nam verbum Hebrei passim accipiunt pro ipsare. Intellige secundò insidias Dæmonum, & jam verbum asperum est dampnum spirituale, seu mors animæ.

¶. 4. *Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis ejus sperabis.*

Incipit jam Propheta ipse loqui, & confirmat verba hominis justi, quasi dicat: Merito dixisti, *sperabo in eum, quia ipse liberavit me* &c. nam velut aquila, aut gallina sub alis suis te

H s

col-

colliger, & sic scapulis suis obumbrabit tibi, ut nec ab æstu Solis, nec à pluviâ, & ventis, nec à morsu milvorum timeas, & sic sub ejus defensione constitutus, spera liberationem, & incolumentem.

¶. 5. Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis à timore nocturno.

¶. 6. A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & demonio meridiano.

Circumdabit te veritas Domini instar scuti. Galea tegit solum caput; lorica pectus, & scapulas; sed scutum generalis quædam defensio est, cum possit attrolli, demitti, converti ad omnes partes, & opponi omnibus iactibus. Veritas Domini vel est veracitas in servandis promissis, vel est veracitas fidei revelata, e. g. de novissimis &c.; utaque, si bene considerentur, sunt scutum contra tentationes, tam in prosperis, quam in adversis. Non timebis &c. jam refert pericula. Non afficeris timore ab ulla re, quæ de nocte tertere potest; nec timebis offenditionem, seu calamitatem ullam diurnam. A negotio &c. repetit idem: negotium hic est quæcumque res, vel actio nocturna. Ab incursu &c. est idem ac a sagitta volante in die.

¶. 7. Cadent à latere tua mille, & dece-
mit-

millia à dexteris tuis : ad te autem non appro-
pingabit.

Hæc est victoria hominis fidentis in Deo, &
ritè intentis clypeo veritatis. Porro David hic
admonet justos, ut magni faciante gratiam hujus
victoriae, quia rara est, & ad paucos pertinet.
Cadent enim in hoc prælio ex commilitonibus
mille à latere, sinistrâ tuâ, & decem millia à dex-
teris : ad ipsum autem non appropinquabit, nec
timor nocturnus, nec sagitta volans &c.
Ad sinistram, h. e. tempore adversitatis, dicun-
tur casuri mille ; ad dexteram vero, h. e. tem-
pore prosperitatis, decem millia ; plures enim
ex prosperitate perenni, quam ex adversitate.

¶. 8. Veruntansen oculis tuis considerabis,
& retributionem peccatorum videbis.

Hæc est nova causa lætitiae homini justo, cui
non solum promittitur victoria, sed etiam quod
cum magnâ voluptate propriis oculis visurus
sit inimicos suos jacentes, & pro meritis puni-
tos. Quæ promissio aliquando hic impletur,
sed plenissimè implebitur in die judicii, ubi pa-
tebunt inanes impiorum labores.

¶. 9. Quoniam tu es Dominus spes mea, al-
tissimum posuisti refugium tuum.

Hic ., quoad verba facile patet ex ¶. 1. &
2., sed de connexione non levis quæstio est;
omitt-

omissis ceteris, sequemor Euthymium. Dixerat Propheta viro justo: *Deus obumbrabit eum* &c. *scuto circumdabit te &c.* non timebis &c. His auditis, vir justus interloquitur: (diximus post Argumentum, Psalmum esse Dramaticum) *conversus ad Deum*: credo, quæ audiui, & hæc vera sunt, quia tu es Domine spes mea, non confido meis viribus, armis, sed in te uno &c. Propheta hoc intelligens, subiungit: rectè, ac sapienter posuisti Deum spem tuam, quia sic Altissimum posuisti refugium tuum. Illud Altissimum nomen Dei est, ut sic sensus, elegisti in arcem refugii Deum, qui est Altissimus.

¶. 10. Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Explicat, quid boni consequatur justus ex eo, quod refugium tibi constituit in Altissimo. Non accedet ad te malum culpæ, vel praesertim andando te à lapsu, vel lapsum ad justitiam revocando. Et flagellum, h.e. malum pœnæ, &c. Justus habens per desiderium in cælesti tabernaculo, mala hæc temporalia vix sentiet, & omnino contemnet; immo mala esse non reputabit, sed bona, quia sunt materia patientiæ, & leges gloriæ. Quanquam liberatio à malo culpa, & à flagello, seu malo pœnæ perfecta erit in cælo.

¶.

¶. 11. *Quoniam Angelis suis mandavit te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.*

Illud *Quoniam* connectit hunc ¶. cum seq. ¶., ut sensus sit: ideo in manibus portabunt *Ec.* *Quoniam Angelis suis mandavit Ec.* Potuisset iustus dicere. in cælo ab omni malo ero securus; sed quis me custodiet in viâ, ne forte erre in a recto itinere, vel incidam in latrones, aut foveam? Rx. Propheta: ne timeras, *Quoniam Angelis suis Ec.* Illud mandatum est præcipua causa, cum Angeli nos diligentissime custodiant. Dicit *Angelis*, nam præter proprium habemus communes custodes, eos nempe, qui præsunt turbibus, Regnis &c. Vide *Dan.* 10. *S. Basil.* L. 3. in *Eunomium*.

¶. 12. *In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.*

Hic ¶. plenus est metaphoris, sed tamen facillimus. *Manus Angelorum* sunt intellectus, & voluntas seu sapientia, & potentia: nam intelligendo, & volendo omnia faciunt. *Lapides in viâ* sunt impedimenta, occurrentia in hac vitâ, sive temporalia, sive spiritualia, scandala, tentationes, persecutio[n]es &c. *Pedes* sunt nostri affectus, & ex his duo principales, amor, & timor. Porro ab Angelis custode ita juvamur, ut vel occasio peccati tollatur,

tor, h. e. lapis ille de viâ removeatur ; vel animus ita illustretur ad vera bona, & vera mala internoscenda, ut pede, h. e. affectu elevato a terrâ, occasio temporalis boni, quod sine peccato acquiri non potest, facilè contemnatur, & malum temporale, quod sine peccato vitari non potest, patientissimè toleretur.

¶. 13. *Super Aspidem, & Basiliscum ambulabis, & concubabis Leonem & Dragonem.*

Dixerat, Angelos bonos justum, in Deo confidentem, custodituros ; addit, Angelos malos eidem non prævalituros. Satanam vocat serpentem propter astutiam, & leonem propter ferociam. Et quia multa sunt genera serpentum vocat eum aspidem, basiliscum, & draconem ; aspis cum astutiâ, quæ omnibus serpentibus communis est, conjunctam habet obfinationem, basiliscus crudelitatem, draco viuum potentiam, quæ omnia Diabolo mirificè conveniunt.

¶. 14. *Quoniam in me speravit, liberabo eum, protegabo eum, quoniam cognovit nomen meum.*

Hic testimonio Dei confirmat hactenus dicta. & usque ad finem addit octo Dei promissa : quatuor pertinent ad hanc vitam : *Liberabo eum, protegabo eum, exaudiam eum,*

et misericordia mea in eum permanebit.

*cum ipso sum in tribulatione : quatuor reliqua
ad vitam futuram : Eripiam eum, glorificabo
eum, longitudine dierum replebo eum, ostendam
illi salutare meum.*

*Quoniam in me speravit, liberabo eum, E. g.
à tyrannide vitiorum, quæ est libertas propria
hominum justorum, & perfectorum, & pra-
ter ceteras omnes maximè expetenda. Pro-
tegam eum &c. nam qui in hâc vitâ libertatur
à tyrannide vitiorum, non perfectè liberatur,
sed eget protectione Dei, ne iterum captivus
ducatur ab hostibus; ut proficiat in libertate
gratia, donec perveniat ad libertatem gloriae.
Porro cognoscit nomen Dei, qui ejus potentiam,
sapientiam, & bonitatem cognoscit, unde in
spem, & fiduciam firmissimam e. igitur.*

*V. 15. Clamabit ad me, & ego exaudiam
eum; cum ipso sum in tribulatione. eripiam eum,
& glorificabo eum.*

*Quatuor alia promissa recenser. Præcipua
conditio, ut oratio exaudiatur, est, clamabit ad
me: nam clamor indicat vehementiam celi-
derii ex amore, & fiduciâ procedentem. Ex-
audiam, hic promittitur donum patientiæ: cum
ipso sum &c. promittitur donum solatii, & la-
titiæ spiritualis in adversis. Eripiam in morte
eum ab omni omnino tribulatione. Glorificabo
eum:*

eum : hæc gloria aliquando hic utcunque, in
caelo perfectè impletur.

16. *Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum.*

Hæc sunt duo beneficia postrema, promissa fidentibus in Deo. Primo hic describitur vera æternitas, cum dicitur: *Longitudine dierum* Eccl., dein vera felicitas, cum additum: *Et ostendam Eccl.* Per salutare intellige salutem, quæ est visio, & amor Dei.

PSALMUS XCI.

Titulus, & Argumentum: *Psalmus Cantici in die Sabbathi.*

Hic titulus habetur in omnibus codicibus, Hebraicis, Græcis, & Latinis: & continet argumentum Psalmi, quod est, ut canetur in die Sabbathi ad erudiendum populum, ut discat die Sabbathi vacare laudibus Dei, præsertim ubi creationem, & gubernationem mundi.

X. I. *Bonum est confiteri Domino, & psaltere nomine tuo Aliissime.*

Incipit exhortatione ad laudandum Deum. Confiteri Domino confessionem laudis non tantum corde, & lingua, sed & instrumento musico, quale imprimis psalterium est, laudes personare gloriam tuam, ô Aliissime, bonum est, h. e. justum, quia debitum, utile, quis

*cum ipso sum in tribulatione : quatuor reliqua
ad vitam futuram : Eripiam eum, glorificabo
eum, longitudine dierum replebo eum, ostendam
illi salutare meum.*

*Quoniam in me speravit, liberabo eum, E. g.
à tyrannide vitiorum, quæ est libertas propria
hominum justorum, & perfectorum, & pra-
ter ceteras omnes maximè expetenda. Pro-
tegam eum &c. nam qui in hâc vitâ libertatur
à tyrannide vitiorum, non perfectè liberatur,
sed eget protectione Dei, ne iterum captivus
ducatur ab hostibus; ut proficiat in libertate
gratia, donec perveniat ad libertatem gloriae.
Porro cognoscit nomen Dei, qui ejus potentiam,
sapientiam, & bonitatem cognoscit, unde in
spem, & fiduciam firmissimam e. igitur.*

*V. 15. Clamabit ad me, & ego exaudiam
eum; cum ipso sum in tribulatione. eripiam eum,
& glorificabo eum.*

*Quatuor alia promissa recenser. Præcipua
conditio, ut oratio exaudiatur, est, clamabit ad
me: nam clamor indicat vehementiam celi-
derii ex amore, & fiduciâ procedentem. Ex-
audiam, hic promittitur donum patientiæ: cum
ipso sum &c. promittitur donum solatii, & la-
titiæ spiritualis in adversis. Eripiam in morte
eum ab omni omnino tribulatione. Glorificabo
eum:*

eum : hæc gloria aliquando hic utcunque, in
caelo perfectè impletur.

16. *Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum.*

Hæc sunt duo beneficia postrema, promissa fidentibus in Deo. Primo hic describitur vera æternitas, cum dicitur: *Longitudine dierum* Eccl., dein vera felicitas, cum additum: *Et ostendam Eccl.* Per salutare intellige salutem, quæ est visione, & amor Dei.

PSALMUS XCI.

Titulus, & Argumentum: *Psalmus Cantici in die Sabbathi.*

Hic titulus habetur in omnibus codicibus, Hebraicis, Græcis, & Latinis: & continet argumentum Psalmi, quod est, ut canetur in die Sabbathi ad erudiendum populum, ut discat die Sabbathi vacare laudibus Dei, præsertim ubi creationem, & gubernationem mundi.

X. I. *Bonum est confiteri Domino, & psaltere nomine tuo Aliissime.*

Incipit exhortatione ad laudandum Deum. Confiteri Domino confessionem laudis non tantum corde, & lingua, sed & instrumento musico, quale imprimis psalterium est, laudes personare gloriam tuam, ô Aliissime, bonum est, h. e. justum, quia debitum, utile, quis

quia meritorium; délectabile, quia dulce est
amanti laudare dilectum; honorificum, quia
munus est quasi proprium cælestium poten-
statum.

¶. 2. *Ad annuntiandum manè misericor-
diam tuam, & veritatem tuam per noctem.*

Hæc est materia confessionis, de quâ ¶. 1.
Ad annuntiandum Sc. ut prædicetur omni-
bus misericordia tua, quâ mundum creasti; &
justitia, quâ mundum gubernas. Et quoniam
opus misericordiæ manifestum est, annuntia-
tur manè, seu de die: quis enim ignorat, cæ-
lum, & terram, & quidquid in eis est, à Deo
fuisse condita ex misericordiâ, & bonitate, non
ex necessitate, vel debito? quia verò opus justi-
tiæ occultum est, cùm arcano Dei judicio sæpe
justi affligantur, & inquietantur, ideo hoc
opus annuntiatur per noctem, in obscuro fidei,
non in luce cognitionis.

¶. 3. *In decachordo psalterio cum cantico,
in cithara.*

Dicit psallendum esse in psalterio, & citha-
râ, sed non sínè dulci cantico vocis humanæ.
De decachordo vide Ps. 32. ¶. 2.

¶. 4. *Quia delectasti me Domine in factu-
rata, & in operibus manuum tuarum ex-
ultabo.*

Incipit ab opere creationis, quod ad misericordiam pertinet. Contemplatus pulcritudinem, varietatem, excellentiam, virtutes, utilitates facturæ tuæ, cæli, terræ, siderum, animalium, plantarum, animo ascendi ad infinitam pulcritudinem tuam considerandam, & cœpi te admirari, & delectari, & jugiter exultans laudabo te in operibus tuis.

¶. 5. Quām magnificata sunt opera tua
Domine! nimis profunda factæ sunt cogitationes
tua.

Dixerat, se valde delectatum in operibus Dei; negat tamen se eorum excellentiam comprehendisse animo, vel cogitatione. *Nimis profunda* &c. sapientissimæ illæ cogitationes, quibus invenisti res tam mirabiles, ac perfectas, tam occultæ sunt, ut omnem intelligentiam superent.

¶. 6. *Vir insipiens non cognoscet, & stultus non intelliget hæc.*

Concludit primam partem, quæ est de creatione rerum, affirmans, non esse viri insipientis, cognoscere, quām magnificata sint opera Domini, nec stulti, intelligere, quām profunda factæ sint cogitationes ejus: hæc enim doctrina ignorantia sapientium tantum est, qui quod magis ignorantiam suam intelligunt, eò magis

gis admirantur opera Dei, & ad veram sapientiam propinquant. Sculti tantum in rebus quærunt voluptatem, utilitatem, quod ipsis cunctis communis est, quæ nec intelligentiam habent, nec ignorantiam suam nōrunt.

¶. 7. *Cum exorti fuerint peccatores sicut fœnum: & apparuerint omnes, qui erant iniquitatem.*

Transit ad opus gubernationis, & ait justitiam providentiae Divinæ in eo præcipue clucere, quod impii ad tempus florete permittuntur, æternâ ariditate damnandi, & quod contrarium in justis accidat. Cum repente. & in magnâ copiâ, ut solet fœnum, germinaverint peccatores, & floruerint, in sublimitate positi, & divitiis abundantes.

¶. 8. *Ut intereant in seculum seculi, tu autem altissimus in æternum Domine.*

Ideo dabis inquis prosperitatem temporalem, ut renumerentur aliqua bona opera eorum, & ob scelera sua justè in æternum damnentur. Tu Domine valde dissimilis es inquis: nam illi ad breve tempus emergunt ad aliquam altitudinem; tu autem in æternum altissimus es.

¶. 9. *Quoniam ecce inimici tui Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt,*

*Et dispergentur omnes, qui operantur ini-
quitatem.*

Probat, impios ad tempus solum, idque
breve prosperandos. Illud *ecce* significat re-
pentinam mutationem. Illa *geminatio*, *ecce inimici tui, ecce inimici tui*, auger execratio-
nem: & verè execrandus est, qui ut amicus sit
hujus mundi, non timeret constitui inimicus
Dei. *Dispergentur* *Ego*, ut fœnum aridum à
vento raptatur, ut non amplius compateat:
sic impii à Deo de terrâ tollentur, ut etiam me-
moria eorum pereat.

¶. 10. *Et exaltabitur sicut unicornis cornu
meum, Et senectus mea in misericordia uberi.*

Ab opposito dicit, justos à Divinâ provi-
dentiâ, & justitiâ verè exaltandos; & loqui-
tur in suâ personâ, sperans, quod ipse sit de nu-
mero justorum. *Cornu meum, potentia, & glo-
ria mea crescat in altum, non ut fragile fœnum,*
sed ut cornu excelsom, & robustum, quale ge-
stat unicornis in fronte. *Et senectus* *Ego*. imò
gloria, ac felicitas mea diuturna erit & con-
stans, nam & senectus mea erit in abundanti
misericordiâ apud Deum.

¶. 11. *Et despexit oculus meus inimicos
meos, Et in insurgentibus in me malignantibus
audiet auris mea.*

Ad

Ad felicitatem addit securitatem ab hosti-
bus. *Oculus meus Ec.* vidi, & contempsi ini-
micos præsentes, quia Divina providentia fe-
cit, ut mihi nocere non possint: quantum ad
inimicos absentes, qui maligni cùm sint, in me
exurgere cogitant, *audiet auris mea nuntium*
de interitu eorum.

¶. 12. *Justus ut palma florebit, sicut cedrus*
Libani multiplicabitur.

Quod de se Propheta dixerat, jam transfert
ad alios justos, quos eleganter comparat Pal-
mæ, & Cedro, ut opponat iniquis, quos fœno
comparaverat. Palma stabilis est; longo tem-
pore floret, & fructus conservat: sic justi in
æternum florebunt, & fructus dulcissimos adse-
rent. Cedrus Libani celsissima est, & robustissima:
ex eâ ornantur palatia, & laquearia
Regum: sic justi augebuntur, & crescent in
maximam altitudinem: multiplicatis ramis
bonorum operum, & firmissimis radicibus per-
severantiae innixi, nullo tentationum vento de-
jicientur: & tandem utiles erunt instar ligni
cedrini ad ornanda laquearia Regis Regum in
cælesti Jerusalem.

¶. 13. *Plantati in Domo Domini, in atriis*
domus Dei nostri florebunt.

Rationem dat, cur justi instar Cedrorum,

& Palmarum sint fœturi. Quia non in campis
silvæ, nec desertis montibus, sed in Ecclesiâ
Dei per rectam fidem plantati, & aquis Sacra-
mentorum, & verbi Dei rigati, in caritate fun-
dati, & radicati flores honestatis, & fructus bo-
norum operum patient.

¶. 14. *Adhuc multiplicabuntur in senecta
aberis, & bine patientes erunt, ut annuntient.*

Quod ¶. 10. dixerat de se, iam dicit de aliis
justis. *Adhuc, præterea justi multiplicabunt
dies vitæ suæ usque ad senectutem viridem, &
pinguem humore vitali, & adhuc facile pati-
entes erunt laborum, ob firmam corporis con-
stitutionem. Illud, ut annuntient, pertinet ad
¶. seq.*

¶. 15. *Quoniam rectus Dominus Deus no-
ster, & non est iniurias in eo.*

Hæc omnia evenient justis, ut nostrum faciant
omnibus aut verbo, aut exemplo suo, quod
Dominus Deus noster justus est, & nulla in eo
iniurias: quoniam licet ad tempus impios
prosperari sinit, tamen suo tempore justitiae sua
judicia exercet, remunerando justos, & puni-
endo iniquos,

PSALMUS XCII.

Titulus, & Argumentum: *Laus cantici ipsi
David in die ante Sabbatum, quando fun-
data*

data est terra. Titulus hic solum habetur in codicibus Graecis, & Latinis, licet non omnibus.

Videtur, qui titulum addidit, voluisse Psalmum decantari feria sexta, quae est dies ante Sabbatum, quid hic narratur, terram a Deo fuisse firmatam, vel, ut alii legunt, inhabitatam, scilicet ab homine, & animalibus, quod recte dicitur factum esse feria sexta. Eodem die per Christi passionem, ac mortem renovata, ac reparata est terra. Et stabilita in Regnum Christi, devicto, & triumphato mundi Principe. Porro Ecclesia Christiana Psalmum hunc canere solet in aurora Dicundi Dominica, ad Laudes; quia Christus etsi Regnum acquisierit per passionem, & fundamenta novae terrae jecerit feria sexta; tamen possessionem Regni accepit, quando resurrexit, Et tunc induit decorem, & fortitudinem, quod in aurora Dominica diei factum esse credimus.

¶. 1. Dominus regnavit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem, & precepit se.

Sensus esse potest literalis & de creatione, & redemptione mundi. Dominus regnavit, regnare ccepit; indutus est gloriam, & robur Regi necessarium, & accinxit se ad regnandum, & gubernandum. Per creationem regnare co-

pit, quia cœpit habere subditos. Christus in resurrectione accepit Regnum; induitus est de-
corem gloriosi corporis, & fortitudinem, quia
data est illi omnis potestas in cælo, & in terrâ:
præcinxit se ad propagandum Regnum suum
per Apostolos usque ad fines terræ.

¶. 2. *Etenim firmavit orbem terræ, qui non
commovebitur.*

Regnare cœpit Deus ab initio mundi, quia
tunc firmavit, ab imis fundamentis constituit
orbem terræ, ut commoveri non possit, & sic
præbuit hominibus, qui Deum Regem agnoscere,
eique servire debent, stabilem mansio-
nem. Christus per passionem, & resurrectio-
nem suam orbem terræ, qui variis motibus à
Dæmonibus agitabatur, dum alii aliis Diis
serviebant, firmavit, ac stabilivit in unâ, ac ve-
rissimâ religione, & fide.

¶. 3. *Parata sedes sua ex tunc: à seculo
rues.*

Quamvis sedes Regni tui parata sit ex tunc,
h. e. ex terum creatione; vel ex resurrectione;
tamen non tunc esse cœpisti, sed à seculo,
ab æternitate, sive principio es, nempe pleni-
tudo essendi, in quâ omnia continentur; tu
nec ante creationem pauper, nec post eam lo-
cupletior. Solâ caritate, & misericordiâ mun-
dum

dum crevit, & reparavit, ut nobiscum bona sua communicaret.

¶. 4. *Elevaverunt flumina Domine, elevaverunt flumina vocem suam.*

¶. 5. *Elevaverunt flumina fluctus suos, a vocibus aquarum multarum.*

¶. 6. *Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus.*

Hæc si ad creationem referantur, significant modum, quo Deus terram habitalem fecit, ut esset firma sedes generis humani. Initio enim creationis, aquæ terram universam operiebant, & magno motu inundationes aquarum elevabantur; sed Deus altior, & excelsior, & in infinitum potentior increpuit, & compescuit aquas, eásque in cavernas terræ conlubit, eisque præcepit, ut non revertentur operire terram. Si hæc ad Christum referantur, per ¶. 4. intellige persecutions Iudaorum, qui continuò cœperant vocem suam elevate contra Evangelium, & illi ubique contradicere. Per mare, quod fluminibus est multò altius, intellige persecutions Neronis, Domitiani, aliorumque Principum Romanorum. Sed Dominus in altis habitans, mirabiliter apparuit, cùm de omnibus persecutoribus victoriam reportaverit, & invitis omnibus,

Regnum suum per omnes terras propagaverit.

v. 7. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis, domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudinem dierum.*

Quantum attinet ad sensum priorem, respondeat Propheta tacitae objectioni, unde scilicet sciamus, quæ ab initio Psalmi hucusque dicta sunt, cum nullus testis adfuerit, quia præcesserunt hominum omnium creationem. R. id haberi ex testimonio Dei, qui hæc revelavit servo suo Moysi; & testimonium illud valde credibile esse, cum Moyses multis signis, & prodigiis, aliisque modis servum Dei fidelem, & Prophetam verum se esse probaverit. Idem dici potest de sensu posteriori: *testimonia enim Christi per Apostolos ad nos delata credibilia facta sunt nimis, tum ob signa, & prodigia Christi, & Apostolorum; tum quia videmus impleta, quæ dicta sunt; tum ob infinita alia, quæ fidem Christianam omnino credibilem faciunt. ut nemo possit, posteaquam prædictores audierit, sine magna temeritate non credere.* Tum concludit: *decet, ut dominum Ecclesiam Dei, in qua testimonia illa continentur, & prædicantur, omnes ut sanctam venerentur.* Item *decet, ut, qui in illa sunt, moribus sanctis respondeant sanctitati testimoniorum tuo-*

tuorum. Demum decet, ut à te, Domine, inviolata. & sancta conservetur usque ad consummationem sæculi.

PSALMUS XCIII.

TItulus Psalmus ipsi David, quartâ Sabbati. Titulum hunc in Graecis, & Latinis codicibus tantum, velut à septuaginta, vel ab aliis adjectum, legunt Hieron, Aug. Theodoret. Euthym. &c. Illud, quarta Sabbati, significat canari solitum ab Hebreis, quartâ die post Sabbathum, h. e. in media hebdomada.

Argumentum est providentia Dei, punientis tandem malos. & bonos remunerantis, licet interdum justo iudicio sinat prosperari malos, & bonos opprimi.

¶. 1. *Deus ultiōnum Dominus: Deus ultiōnum libere egit.*

Deus, qui propriè solus Dominus est, cui omnia serviunt, est summus Judex, ad quem ultiō scelerum omnium pertinet: & quandocunque punire voluit peccatores, libere egit, quia neinimicūmet, nullius personam accipit, nemo ei resistere potest. Id patuit in Luciferō, Diluvio, Sodomā, Pharaone &c.

¶. 2. *Exaltare, qui iudicat terram, reddo retributionem superbis.*

Dixerat, Dominum esse ultiorem scelerum,
 jām

jam precatur, ut fungatur officio suo. *Exaltare, ascendē solium tuum, qui Judex es universæ terræ: profer sententiam damnationis in homines superbos, & sic vindictam sume de præcipuo scelere generis humani, quod est Superbia.*

¶. 3. *Usquequò peccatores Domine, usquequò peccatores gloriabuntur.*

¶. 4. *Effabuntur, & loquentur iniquitatem, loquentur omnes, qui operantur iniquitatem?*

Dat causam, cur petat judicium in impiis, & superbos; quæ est, quia nimium jam diu videatur superbia, & impietas eorum durasse. Per modum precationis, ad consolandos justos afflictos, prædictit, brevi futurum, ut superbi, & impii dispereant. licet in præsenti tempore diurna videatur eorum potentia. *Usquequò &c. gloriabuntur.* de viribus, prosperitate, & sceleribus suis: jactabunt, & prædicabunt inusta opera sua: liberè, & sinè timore ullo loquentur de rebus suis gestis, vel gerendis homines impii?

¶. 5. *Populum tuum Domine humiliaverunt, & hereditatem tuam vexaverunt.*

¶. 6. *Viduam, & advenam interfecerunt, & pupilos occiderunt.*

Explicat impiorum iniquitatem, dum furere
per-

permittuntur. Cœlum pioum, qui propriè populus tuus est, à te electus, humiliaverunt affigentes, & persequentes: eundem cœlum, quem tuam possessionem, & hæreditatem esse voluisti, vexaverunt, injustè opprimentes. Nec solùm populum in commune vexaverunt, sed in personas miserabiles furorem effuderunt, occidendo viduas, maritorum solatio destitutas; & advenas, procul à patriâ inter ignorantes versantes; & pupilos, qui parentibus, dum adhuc auxilio eorum indigerent, orbati sunt.

¶. 7. *Et dixerunt, non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob.*

Ratio, cur tam audacter peccent: quia dixerunt apud se: *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Jacob*, h.e. nec sensu videndi, aut audiendi cognoscet opera nostra, nec mentis intelligentiâ illa examinabit.

¶. 8. *Intelligite insipientes in populo, & fulti aliquando sapite.*

¶. 9. *Qui plantavit aurem, non audiet: aut qui finxit oculum, non considerat?*

¶. 10. *Qui corripit gentes, non arguet: qui docet hominem scientiam?*

Versu 9. refutat primam partem Versus 7., & Versu 10. alteram partem. Probat, Deum videre, & audire, quia ipse dedit hominibus

au-

aures, quibus audiunt, & oculos, quibus vident; proinde multò magis ipse audit, & vident, non organo materiali, sed mentis intelligentiā. Vnde probat, Deum intelligere, quia ipse est auctor hominibus, ut intelligant: ipse enim eos erudit, docet, dum in creaturā ne dat eis mentem, rationis capacem, & intelligentiae lumen infundit. Illud, *plantavit aurem*, significat, sensum audiendi, uti alios sensus, non nasci ex corpore terreno, sed plantari a Deo: ut arbores non oriuntur a terrā, vi ipsius terrae, quae inanima est; sed plantantur ab hominibus in terrā, & in eā crescunt. Illud, *fixit oculum*, significat mirabilem structuram oculi, & mirabilem vim, quam habet ad res videndas, a Deo factam esse eā facilitate, quam filius vas quodvis fingere solet. Illud, *inspirantes in populo*, significat, impios præ reliquis stultis, etc.

• 11. *Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.*

Facta refutatione, subiungit, hanc calumniam impiorum Deo non esse novam: Ipse enim scit cogitationes hominum, quod vanæ sunt: homo enim, post Adæ peccatum, vanus factus est, similis iumentis, quæ non nisi præsentia cogitant.

7.

¶. 12. *Beatus homo, quem tu erudieris
Domine, & de lege tua docueris eum.*

Hoc sequitur ex 3. priori; si enim cogitationes hominum, quas ex se habent, vanæ sunt, ille *beatus*, non vanus est, cui tu, Deus, oculos aperis. Ad ea videnda, quæ verè bona sunt; & ut ad ea perveniant, *erudieris*, h. e. intimè illi persuades, legi Divinæ toto mentis affectu obediendum esse.

¶. 13. *Ut mitiges ei à diebus malis, donec
fodiatur peccatori fovea.*

Ecce unum ex fructibus doctrinæ Divinæ: illa justo ad hoc utilis erit, ut mitiges ei tristitia, quæ oritur à tempore persecutionis, & tribulationis, donec perficiatur effossio foveæ, in quam dejiciendi sunt impii: tunc enim justi dolore carebunt, qui recidet in injustos, justorum dolor hinc non tollitur omnino, ut in cælo, sed mitigatur. Non est mitum, si non tam imp. i puniantur, quia nondum est fovea eorum plenè effossa: porrò felicitas, & exaltatio impiorum est effossio foveæ eorum; & quod altius evehuntur, eò profundius fovea foditur.

¶. 14. *Quia non repellit Dominus plebem suam: & hereditatem suam non derelinquet.*

Ratio, cur dixerit: donec fodiatur &c. Præparatur enim interitus peccatoribus à providente

dentiâ Divinâ, quia Dominus non repellat plenam suam, licet ei videatur ad tempus irasci, & afflige eam sinat. Plebs, & hereditas Dei est cœtus piorum electorum.

¶. 15. *Quoad usque justitia convertatur in judicium, & qui juxta illam omnes, qui recte sunt corde.*

Declarat, cœtum justorum non repellen-
dum à Deo usque ad diem ultimi iudicij, h. e.
quamdiu versamur in periculis temptationum.
Quoad usque &c. usque ad illum diem, quo
justitia Divina, quæ nunc videtur esse quasi in
habitū, vel in potentia, dum non punit im-
pios, nec remuneratur pios, prodibit in actum
iudicij, reddens omnibus pro meritis suis: &
tunc juxta Divinam justitiam, quæ in nubibus
admirabilis apparebit, qui proximè sedebunt,
erunt omnes ejus amatores, qui eam non time-
bunt, sed diligent, cùm sint recti corde, h. e.
justi.

¶. 16. *Quis consurget mihi adversus ma-
lignantēs? aut quis stabit mecum adversus ope-
rantes iniquitatem?*

Dixerat, in ultimo iudicio cessaturam om-
nem in justitiam, & tunc regnaturam esse justi-
tiam; jam ait, interea temporis nobis opus esse
ope Divinâ. *Quis consurget pro me, defen-
den-*

dendo à tanto numero malorum hominum, ac
Dæmonum? *Quis stabit Sc.* idem est.

ψ. 17. *Nisi quia Dominus adjuvit me, pa-
lò minus habitasset in inferno anima mea.*

Declarat magnitudinem periculi. *Nisi Do-
minus adjuisset me, patim abfuissem à mor-
te temporâ: quia nem pe tentationibus suc-
cubuisse, & de ipsâ Divinâ providentiâ dubi-
tasse. Illud paulò minus idem est, ac
paulò post.*

ψ. 18. *Si dicebam, motus est pes meus, mi-
ser. cordia tua Domine adjuvabat me.*

Explicat prædictum auxilium. *Si agnosce-
bani, & confitebar infirmitatem meam, & in-
sufficientiam ad superandas tentationes, tunc
misericordia tua adjuvabat me, illuminans in-
tellectum, purificans affectum, vires dans vo-
luntati, quæ sufficerent ad stabiliendos pedes
animæ in viâ mandatorum tuorum.*

ψ. 19. *Secundum multitudinem dolorum
meorum in corde meo, consolationes tua latifica-
verunt animam meam.*

Non solum Deus justis dat patientiam, sed
etiam mitam consolationem. Juxta mensuram
dolorum, qui tristitiam in corde meo gigne-
bant, *consolationes tua Sc.* : Hæ etsi non tol-
lant, vertunt tamen tribulationes in materiali
gaudii.

¶. 20. *Nunquid adharet tibi sedes iniquitatis, qui singis laborem in præcepto?*

Ratio, cur Deus justos consoletur in tribulationibus. Nunquid adjungitur tibi tanquam socius thronus iniquè judicantium, tibi inquam, qui facis, ut præcepta tua non sive magno labore possint impleri? certè Deus, cùm sit justus in iustis, iugum legis, alioqui durum, oleo consolationis lenit, & suave reddit.

¶. 21. *Captabunt in animam justi, & sanguinem innocentem condemnabunt.*

Concludit Psalmum, affirmandis impios iniquè acturos contra justos; sed providentiam Dei vigilaturam, & utrisque pro meritis retrahuturam. *Captabunt &c.* homines iniqui morte suo intidiabuntur justis, ut capiant eos, ut venatores prædam; & postquam laqueo suo irreuerint, morti eum addicent, licet innoxium esse sciant.

¶. 22. *Et factus est mihi Dominus in refugium: & Deus meus in adjutorium spei meæ.*

Loquitur in personâ justorum. Sed *Dominus factus est mihi in refugium*, ut non mihi noceant infidiae eorum: & *Deus meus factus est* quali petra solida, in quâ fuitò innititur spes mea.

¶. 23. *Et reddet illis iniquitatem ipsorum,*

65

*Et in malitia eorum disperdet eos ; disperdet illos
Dominus Deus noster.*

Deus faciet , ut iniquitas impii non noceat
justo , qui ob patientiam coronatur , sed ipsi ini-
picio , qui ob malitiam punitur . *In malitia eo-
rum* &c. idem explicat . Non dixerat , quis esset
redditurus , dispersurus ; unde ait : *Disperdet il-
los Dominus Deus noster* , cuius providentiam
negaverant , vel sprevetant .

PSALMUS XCIV.

Titulus : *Lauds Cantici ipsi David.*

*Titulus in Hebræo non est ; sed vel excidit ,
vel additus à septuaginta , ut indicarent , argu-
mentum Psalmi esse laudem Deo voce , non in
strumentis musicis decantatam .*

Psalmus continet invitationem ad laudan-
dum Deum , corde , voce , & opere . *Quare Eccle-
sia Catholica rectissimè hunc Psalmum esse voluit
initium nocturnæ Psalmodiæ , quæ n̄t longissima
est , ita ista à preparatione , & exhortatione in-
digebat .*

¶ . 1. *Venite exultemus Domino , jubile-
mus Deo salutari nostro .*

Omnis simul uniti exultemus spiritu , coram
Domino præ latitiam gestientes , & voce jubile-
mus Deo , qui est salus nostra . Illud , *venite*

est exhortatio , & invitatio ad conjungendos
animos, & voces in laudem Dei.

¶. 2. Praoccupemus faciem ejus in confes-
sione, & in psalmis jubilemus ei.

Antequam Dominus ad judicium veniat, &
vindictam de peccatis sumat, præveniamus
iram ejus, confiendo peccata nostra, & simul
jubilemus in psalmis, magnis vocibus extollen-
do misericordiam ejus. Illud, facies in Hebræo
sumi potest pro irâ.

¶. 3. Quoniam Deus magnus, Dominus,
& Rex magnus super omnes Deos.

Dat 5 rationes, cur Deus à nobis laudandus
sit. Prima: quia Dominus noster est magnus
Deus super alios omnes Deos, & Rex magnus
super alios omnes Reges, qui etiam Dii dici
solent.

¶. 4. Quia non repellat Dominus plebem
suam, & in manu ejus sunt omnes fines terra,
& altitudines montium ipse conspicit.

Altera Ratio est à potestate, quam Deus ha-
bet in orbem terræ, sive longitudinem, & lati-
tudinem, sive etiam altitudinem consideres;
proinde omnes terræ incolæ illi subjecti sunt, &
sacrificium laudis debent. Hunc ¶, ut jacet,
Ecclesia communiter sic legit ex antiquo quo-
dam codice; ceterum Patres ex codice Hebræo,

&

& Græco legunt: *Quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, & altitudines montium in ipsis sunt, omisso etiam illo, non repellit Ec.*

¶. 5. *Quoniam ipsis est mare, & ipse fecit illud, & aridam fundaverunt manus ejus.*

Tertia ratio: quoniam Deus noster non solum terræ, sed etiam maris Dominus est: nam ipse fecit illud, & arenam siccum illi circumdet, in qua, velut in vase continetur. Quare & quum est, homines, qui ex mari maxima commoda percipiunt, ei gratias agere, & eum laudare.

¶. 6. *Venite adoremus, & procidamus ante Deum: ploremus coram Domino, qui fecit nos.*

Quarta ratio: quia ipse non solum fecit terram, maria, sed etiam nos homines, nos autem factorem nostrum offendimus, *venite, adoremus, procidamus, & desleamus ingratitudinem nostram, & peccata.*

¶. 7. *Quia ipse est Dominus Deus noster: nos autem populus ejus, & oves pascue ejus.*

Ultima ratio: quia Dominus non solum nos fecit, sed particulari providentiâ nos regit, ut pastor proprium gregem. Licet populus Dei per alios Pastores, & Doctores patcat, & regatur; Deus tamen peculiarem ejuscuram habet, nec sinit, ut negligentia, vel ignorantia,

vel etiam malitia Pastorum illis noceat. Ergo populus Dei in Deo summo Pastore confidere, & ad illum per orationem recurrere debet.

¶. 8. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

Hâc alterâ Psalmi parte horratur populum Dei, ut non solum voce, sed etiam opere Deum laudent. At sacrificium operis Deo gratissimum est obedientia, quæ exhibetur præceptis ejus. Inducit Deum loquentem, ut exhortatio maiorem vim habeat. *Hodie, h. e. dum tempus vietæ durat, si vocem ejus, h. e. Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra, resistendo inspirationibus &c.*

¶. 9. *Sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto, ubi tentaverunt me Patrii vestri, probaverunt. Et viderunt opera mea.*

Ponit exemplum obdurbationis in Patribus, eductis per Moysen de Ægypto. Sicut quando me ad iram provocarunt juxta diem illam, quo explorare voluerunt, num verè Deus essem; ubi etiam experti sunt, me esse omnipotentem, quia viderunt opera mea, quæ solus Deus virtus facere potest. *Videnum, 14.*

¶. 10. *Quadraginta annis proximus fui generationi huic, Et dixi, semper hi errant corde.*

Ex-

Explicit clare tempus irritationis, & tentationis in deserto. Toto tempore, quo duxi eos per desertum, de proximo vidi, & audii, quid agerent, aut loquerentur; & dixi: ducuntur variis desideriis, & ideo errant, & vagantur extra viam salutis.

¶ II. *Ipsi verò non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.*

Isti, qui semper errant corde, non cognoverunt, approbarunt vias meas, quibus itur ad requiem, ac per hoc in illam non introierunt, prout juravi in ira mea &c. Per requiem hic ad literam intellige terram promissionis.

PSALMUS XCV.

Titus, & Argumentum: *Canticum ipsi David, quando domus adificabatur post captivitatem.*

Titulum, quem habemus tantum in codicibus Gracis, & Latinis, vel addiderunt septuaginta, vel, quod verius videtur Esdras addidit, dum jussit cantari in reædificatione templi post captivitatem Babyloniam. Quamvis autem David hunc Psalmum composuerit occasione reædificationis Arce Domini. 1. Paralip. 16.; & Esdras eundem Psalmum cantari jusserrit in reædificatione templi: tamen certum est intentionem pri-

mariam Davidis, & ipsius Spiritus S, fuisse
predicere adventum Christi, & Regnum ejus.
Recte enim observavit S. Aug., in toto Psalmo
nullam fieri mentionem edificationis templi, nec
reductionis Arcæ, ac per hoc, vel Psalmum non
convenire cum titulo, vel exponendum esse, ut
verba sonant, de Regno, seu Ecclesiæ Christi in
omnibus gentibus adficanda. Ita sentiunt Hie-
ron. Aug. Ambros. Latini, Chrys. Theodore, et
Eutbym. Græci.

v. 1. *Cantate Domino canticum novum,
cantate Domino omni terra.*

incipit ab exhortatione, ut pro communi be-
neficio communiter ab universâ terrâ gratiæ
agantur Deo: ideo ait: *cantate omnis terra,*
& non Iudæa solum. Vocat *canticum novum,*
h. e. pulchrum, sapienter compositionem, vel can-
ticum pro novœ beneficio.

v. 2. *Cantate Domino, & benedicite no-
mini ejus: annuntiate de die in diem salu-
tare ejus.*

Explicat materiam cantici, quæ est Salvato-
ris adventus. Cantando laudate potentiam
ejus, quæ per nomen significatur; nisi forrè
per nomen insinuetur nomen Salvatoris, ut
clarius indicat, subdens: *Annuntiate &c., præ-
dicate cum cantu & laudibus venturam salu-
tem, idque omni die.*

v.

¶. 3. Annuntiate inter gentes gloriam ejus,
in omnibus populis mirabilia ejus.

Dixit, Deum ob tam ingens beneficium semper laudandum, jam addit, ubique laudandum. Notam facite non solum Judæis, ut faciebant Prophetæ veteres, sed etiam gentibus gloriam Dei. Dein idem explicat annuntiate omnibus gentibus admiranda opera Dei, ex quibus manifestatur gloria ejus. Hoc principiū pertinet ad Apostolos Domini.

¶. 4. Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis: terribilis est super omnes Deos.

¶. 5. Quoniam omnes Dii gentium Damnia, Dominus autem Cælos fecit.

Declarat, quæ sic gloria Domini, quæ mirabilia opera ejus. Hæc est gloria Domini, quod magnus sit absolute, sive potentiam, sive sapientiam, sive bonitatem, sive imperium, sive dignitas, sive quæcunque alia consideres: & ideo est laudabilis valde, & re ipsâ ab omnibus laudatur: hinc enim pleni sunt Cæli, & terra gloria ejus. Demum terribilis est super omnes Deos gentium, quia ii non sunt veri Dii, sed Spiritus mali, à Deo propter superbiam condemnati ad peccatas æternas: Dominus autem non est spiritus creatus, sed spiritus creator, qui Cælos fecit, corpora illa maxima, & pulcherrima,

in a, & quæcunque Cæli ambitu continentur,

¶. 6. *Confessio, & pulcritudo in conspectu ejus; sanctimonia, & magnificentia in sanctificatione ejus*

Dixerat, Deum esse magnum, terribilem;
i. m addit, eundem esse undique laudabilem,
¶. lcerum, gloriosum, sanctissimum, idque
¶. xcipuè cerni in cælesti sanctuario ab Ange-
lis, & Beatis. *Confessio, seu materia laudis, &*
pulcritudo, sive decor, & gloria, est in circuitu
ejus, h. e. undique conspicitur. Sanctimonia,
sive puritas, & magnificentia, sive majestas, &
gloria conspicitur in templo sancto, quod in
Cælis ipse Deus habet. Eadem David clarius
dicit Ps. 103. ¶. 3.: Confessionem, & decorum
industi, amictus lumine, sicut vestimento.

¶. 7. *Ajerte Domino patriæ gentium,*
afferte Domino gloriam, & honorem, afferte
Domino gloriam nomini ejus.

Prædixerat, prædicandam esse notitiam Dei
omnibus, gentibus per Christi adventum, jam
per modum hortantis prædicti, convertendas
esse omnes gentes, & glorificaturas Deum. O
familiae gentium, cùm annuntiata vobis fuerit
gloria Domini, qui de cælo ad terram descen-
dit, & peractâ redēptione, iterum ad cælum
gloriosus ascēdit, accurrite ad tabernaculum

Dei,

Dei, glorificate, & honorificate verbis, & ope-
ribus Deum, & sanctum nomen ejus.

¶ . . . Tollite hostias, & introite in atria ejus,
adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Invitai gentiles, ut ad Ecclesiam Domini
veniant, & offerant hostias, utique spirituales,
ut sunt cor contritum, confessio peccatorum,
oratio, jejunia, eleemosynæ &c.

¶. 9. Commoveatur à facie ejus universa
terra, dicitur in gentibus, quia Dominus regnavit.

Quia Messiam venientem cernat, spiritu
exultat, & hortatur ad venerationem, & lati-
tiam universam terram, Commovantur ti-
more, & reverentiâ omnes habitatores terræ
ante faciem Domini venientis: prædicant om-
nibus gentibus, quod Regnum suum, spiritua-
le per fidem in cordibus hominum, auspi-
catus sit.

¶. 10. Etenim correxit orbem terræ, qui
non commovebitur; iudicabit populos in æquitate.

Hoc Regnum meum convenerit Christo,
probat dupli ratione. Prima: quia ipse est,
qui cum in formâ Dei esset, orbem terrarum
condidit, stabilivit, ne commoveti posset: ju-
stum igitur est, ut in eadem terrâ regnet. Altera
ratio: quia ipse suo tempore iudicabit orbem
justissimè.

¶.

¶. 11. *Letentur Cœli, & exultet terra, com-
moveatur mare, & plenitudo ejus: gaudebunt
campi, & omnia, quæ in eis sunt.*

¶. 12. *Tunc exultabunt omnia ligna silva-
rum à facie Domini, quia venit; quoniam venit
iudicare terram.*

Excitat ad lætitiam omnia creata propter
adventum Domini, eum primum, eum secun-
dum. *Letentur Ec., nominat partes mundi
principales. Commoveatur etiam mare, & ple-
nitudo ejus, sive insulæ, sive pisces. Gauden-
bunt Ec., sic erit, ut optavi. Gaudebunt cam-
pi, & omnia, quæ in eis sunt, sive pecora, sive
plantæ: imò ipsa sterilia ligna silvarum exulta-
bunt ad præsentiam conditoris, quia venit Do-
minus. Redempturus orbem terræ in miseri-
cordiâ, & quoniam iterum venit iudicare orbem
terræ in justiâ.*

¶. 13. *Judicabit orbem terra in æquitate,
& populos in veritatem suam.*

Concludit, prædicens, quale futurum sit
iudicium; nempe in æquitate, seu justitiâ; & in
veritatem suam. h. e. in eâ veritate, & fidelitate,
quâ semper implet, quod promisit, nempe se
redditurum cuique secundum opera sua, sine
personarum acceptione.

PSAL-

PSALMUS XCVI.

Titulus; & Argumentum: *Huic David,*
quando terra ejus restituta est.

Cum titulus non sit in codice Hebræo, velex-
 edit in curia scriptorum, vel additus est à sep-
 tuaginta. Porro Psalmus non videtur ad lite-
 ram intelligendus de restitutione Regni, aut
 terræ, quam ei Absolon filius abstulerat; nihil
 enim ejusmodi in Psalmo legimus, sed videtur S.
 Propheta, occasione terra a se recuperata, Spi-
 ritu S. afflatus cecinisse restitutionem, & consti-
 tutionem perfectam Ecclesia, futuram post ulti-
 mum iudicium, quando, remotis persecutioni-
 bus omnibus, & omnibus inimicis Christi sub pe-
 dibus ejus constitutis, Ecclesia pace perpetuâ, &
 tranquillitate fruetur, & Christus ipse pacificè
 in universâ creaturâ regnabit.

Duobus modis ad literam Psalmus exponi pe-
 test, primum de Regno Dei absolute, deinde de
 Regno Christi post Resurrectionem: utrumque
 sensum referemus.

¶. I. Dominus regnabit, exultet terra, la-
 rentur Insula multæ.

¶. Dominus Deus est verus, & supremus Rex,
 & alii Reges sunt servi ejus, ideo exultent, &
 laorentur, sive habitent in continenti, sive insu-
 lis. Dominus Christus, qui aliquando humili-

an-

ante Reges judicandus stetit, jam regnavit,
quia data est ei omnis potestas, in celo, & in terra;
ideo exultent &c.

¶. 2. *Nubes, & caligo in circuitu ejus: justitia, & judicium correctio sedis ejus.*

Dominus Rex noster invisibilis est; verè tamen adest, & judicat populos justissimo judicio. Illud *correctio* idem est, ac *directio*, *rectitudo* &c. Posteriori sensu significatur adventus Christi ad *judicium*: veniet enim in nubibus Cali, sp'endore magno circuitu datus.

¶. 3. *Ignis ante ipsum precedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus.*

Quandoquinque voluerit Deus *judicare*, & punire impios, emitet à sede suâ virtutem effusacissimam, quæ subito *inflammabit*, & consumet in circuitu, ut non sit ullum estugium, omnes inimicos ejus.

Altero sensu significatur *ignis*, in fine mundi consumpturus omnia; sic autem tantum mentio impiorum, quia his solis *ignis* ille nocabit.

¶. 4. *Illuxerunt fulgura ejus orbi terra, vidi, & commota est terra.*

Quando illi placuit, in promptu habuit sagittas fulgorum, & ubi illa illuxerunt orbiterae, hæc, quasi tensum haberet, tota contremuit.

Al-

Altero sensu indicatur modus, quo ante judicium ignis maximus exorietur, & consumet omnia, scil. per frequentissima fulgura.

¶. 5. *Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini, à facie Domini omnis terra.*

Juxta utrumque sensum explicat potentiam Domini per effectum. Ut cera non potest subsistere ante faciem ignis, quin statim liquefiat, & pereat: sic montes, quantumvis maximi, & durissimi sint, imò omnis terra, omnium elementorum solidissima, vim Divinæ potentiae sustinere non posset, si Deus eam repente consumere, & annihilare vellet.

¶. 6. *Annuntiaverunt Celi justitiam ejus, & viderunt omnes populi gloriam ejus.*

Ex conspectu Solis, Lун, Stellarum, & continuis eorum motibus potuerunt homines intelligere, Deum esse moderatorem justissimum orbis terræ; ex quo consequitur gloria, seu claritas nominis ejus.

Altero sensu: *Annuntiabunt Angeli de cælo justitiam ejus, qui veniet reddere unicuique secundum opera ejus: & tunc videbunt omnes populi, nullo excepto, gloriam ejus, dum ipsi flectentur omne genu.*

¶. 7. *Confundantur omnes, qui adorant, sculptilia, & qui gloriantur in simulacris suis.*

Cum

Cum jam satis constet, unum solum esse verum Deum, Dominum Cæli, & terræ, confundantur, qui Deos inanes adorant; & multo magis confundantur, qui gloriantur in Ido-
lis suis, cum errore decepti glorientur in eâ-
te, ob quam maximè etubescere deberent.

Altero sensu, per modum imprecationis, prædictitur confusio maxima, quæ operiet in die judicij omnes Idololatras: tunc enim apertissimè cognoscent, Idola nihil fuisse, & Ido-
lorum habitatores fuisse spiritus immundos, cum quibus ad æterna supplicia damnabun-
tur.

¶. 8. *Adorate eum omnes Angeli ejus: au-
divit, & letata est Sion.*

¶. 9. *Et exultaverunt filia Iuda propter
judicium tuum Domine.*

Ut prober, merito sedixisse, Confundan-
tur Igo, convertit se ad Angelos, & invitat eos
ad adorandum Deum. Si enim illi, qui sunt
nobilissimæ creaturæ, non debent adorari, tan-
quam Dii, sed ipsi Deum adorare debent, ut
eius servi; quanto minus Dæmones, vel Idola
colenda sunt? *Audivit Sion, h. e. populus Dei,*
Deum ubique regnare, Idola nihil esse, ipsos
Angelos subjectos esse Deo; ideo *Sion, & filia*
Iuda, h. e. idem populus Dei valde lætatus
est,

est, quod tantum habeat Regem, qui omnes
justo judicio judicat.

Altero sensu indicatur Majestas Christi ven-
turi ad judicium: cum fideles videtiant, Chri-
stum pro tribunali sedentem ab Angelis tantum
gloriâ affici, nempe adorari, indè in veris fide-
libus orietur maxima lætitia.

¶. 10. *Quoniam tu Dominus Altissimus
super omnem terram, nimis exaltatus es super
omnes Deos.*

Ratio, cur populus Dei exultare cœperit,
auditis illis, quæ dicta sunt: nam ex iis colligi-
tur, Dominum populi Dei, esse verè supremum
Dominum, elevatum super omnes Reges terræ,
& exaltatum maxime super omnes Angelos,
qui sunt Dii per participationem, & super om-
nes Deos falsos, qui per errorem colebantur
a gentibus.

Altero sensu indicatur gloria Christi, maxi-
mè manifestanda in die judicii, quando omnes
omnino homines, & Angeli, tam boni, quam
mali curvabunt genua ante illum.

¶. 11. *Qui diligitis Dominum, odite malum:
sustodit Dominus animas Sanctorum suorum,
de manu peccatoris liberabit eos.*

Concludit hortando populum Dei ad se-
ctandam vitæ sanctitatem. O vos omnes, qui

L

verè,

verè, & ex corde Deum diligitis, odite malum. Tum subjungit præmium: nam Dominus est custos fidelis, & diligens, fortis, & prudens diligentium se, ut vitam ipsorum defendat, & liberet de potestate iniquorum, qui ordinariè inimici sunt hominum justorum. Deus custodit æpe vitam corporalem Sanctorum suorum, semper autem vitam spiritualem, faciendo, ut omnia iis cooperentur in bonum.

Altero sensu custodiet animas Sanctorum suorum in die novissimo, ut nihil eis noceant accusationes inimici: & perfectissimè de manu peccatoris liberabit eos, quia post ultimam illam sententiam nihil amplius poterunt peccatores adversus justos.

v. 12. *Lux orta est justo, & rectis cordis letitia.*

Alterum præmium justorum est lux intelligentiæ, quâ incipit practicè cognoscere bonum, & malum, eligendo, quod verè, & non apparenter tantum, justum, & bonum est: & recto cordi inessabilis lætitia infunditur, pt nihil contristare justum possit.

v. 13. *Lætaminis justi in Domino, & confitemini memoria sanctificationis ejus.*

Ex dictis sequitur, ut justi lætentur non in vanitatibus, sed in Domino, qui justitiam, & læ-

ii-

ūtiam donat; & non obliviscantur, sed laudi-
bus celebrent memoriam tanti beneficij, quo
Deus nos ex impiis sanctos, & justos effecit.

P S A L M U S X C V I I .

Titulus: *Psalmus ipsi David.*

*Hebraus tantum habet Psalmus; unde
reliqua creduntur à septuaginta fuisse addita.*

Argumentum idem, quod Ps. 95., predicitur scil. adventus Christi primus, & secundus, ille ad salvandum, iste ad judicandum.

¶. 1. *Cantate Domino canticum novum,
quia mirabilia fecit.*

Vide Ps. 95. ¶. 1. Mirabilia Christi sunt, quod sit conceptus de Spiritu S., natus de Virgine, innocencia viræ, justificatio peccatorum, miracula, resurrectio, missio Spiritus S., conversio mundi per Apostolos, viles, idiotas &c.

¶. 2. *Salvavit sibi dextera ejus, & brachium
sanctum ejus.*

Explicat unum mirabile, in quo cetera con-
tinentur. Hoc mirabile fecit Dominus, quod
ipse solus virtute suâ salvavit mundum; non
eguit sociis, armis: ipse solus Principem mun-
di ejecit foras, & nos de ejus potestate liberavit.

¶. 3. *Notum fecit Dominus salutare suum:
in conspectu gentium revelavit justitiam suam.*

Christus ipse tribus annis, & amplius prædi-

cavit salutem, quam attulerat, & dabant credentibus in eum, & mysterium abscondi: um, seu justitiam suam, h. e. impletionem promissionis, olim factarum Patribus de Redemptione generis humani, per Apostolos gentibus revelavit,

¶. 4. Recordatus est misericordiae sua, & veritatis suae domini Israel.

Dat rationem ¶. prioris. Recordatus est Deus Pater misericordiae sua, quâ promisit Patribus Salvatorem; & recordans est Deus Filius misericordiae sua, quâ veniurum se pollicitus est; & simul recordatus est uterque fidelitatis in impletâ promissione factâ domini Israel. Dicitur Deus recordari, si implet, quod implete distulit, quasi oblitus esset.

¶. 5. Viderunt omnes termini terra salutare Dei nostri.

Declarat fructum prædicationis Apostolicæ. Illud viderant significat fidem actualem cum notitiâ conjunctam, quæ movet voluntatem ad amandum, & desiderandum.

¶. 6. Jubilate Deo omnis terra, cantate, & exultate, & psallite.

Signum fidei est gratias agere Deo. Omnes fideles ex universâ terrâ conversi de tenebris ad lumen admirabile, ad notitiam veri Dei, &

Sal.

Salvatoris Iesu Christi, magna voce laudare, &
gratias agere, cantate linguis, exultate animis,
psalite motibus, seu virtutum operibus; quia
quia multiplicia sunt, ideo multa subjicit in-
struenda.

¶. 7. Psallite Domino in cithara, in cithara,
& voce Psalmi, in tubis ductilibus, & voce tubæ
cornæ.

Hæc 4. instrumenta, cithara, psalterium,
tuba ductilis, tuba cornæ erant in usu apud
Hebreos: his, horribatur, ut psallant Domino,
qui viderunt salutare Dei per fidem, & videlicet
cupiunt per speciem.

¶. 8. Jubilate in conspectu Regis Domini:
moveatur mare, & plenitudo ejus, orbis terra-
rum, & qui habitant in eo.

Invitat nunc omnes partes terræ ad jubilandum. Cùm advenerit Rex magnus, qui est
Dominus omnium, jubilate, ipso vidente, &
audiente: mare, & quidquid in eo est, movea-
tur motu exultationis, ac si sensu præditum
esset; eodem motu moveatur terra, & omnes
homines,

¶. 9. Flumina plaudent manibus, simul
montes exultabunt a conspectu Domini, quo-
niam venit judicare terram.

Mare, & terram invitavit, invitat nunc flu-

· L 3

mi.

mina, & montes. Metaphoræ hæ omnes significant, Prophetam ex amore, & desiderio erga Messiam venturum optare, ut omnes res creatæ, quo modo possunt, lætentur, & laudent. Illud, quoniam venit Eccl., ad utrumque adventum referri potest. Primo adventu dicitur iteram judicare, seu regere optimis legibus.

v. 10. *Judicabit orbem terrarum in iustitia, & populos in aequitate.*

Judicavit omnes populos judicio, in quo nihil erit obliquum, nihil iniquum.

PSALMUS XCIII.

TItulus: *Psalmus ipsi David.*

Hunc titulum soli habent codices Græci, & Latini.

Argumentum est cohortatio ad agnoscendum Regnum Dei, eundemque Deum adorandum, & invocandum, ut fecerunt magnâ cum suâ utilitate Moses, Aaron, & Samuel.

Psalmum duplii sensu, qui verbis inest, brevi er exponemus. Primus est de tempore Davidis, cum in domo ejus Regnum esset stabilem: alter est de Regno Christi, de S. ejus Ecclesi, & de glorioso corpore ejus, quorum typi fuerunt Regnum David, mons Sion, Arca Testamenti; quorum Psalmus meminit.

v. 1. *Dominus regnavit, irascatur populus qui sedet super Cherubim, moveamur terra.* Da-

David non sibi, sed Deo principaliter Regnum attribuit. Jam Dominus Regnum suum stabilivit in Jerusalem, quantumvis indignatur expulsi Jebusæi, & Chananaei Idololatriæ. Qui sedet Ec. idem ait, & sensus est: ille Dominus regnavit, qui sedet super Cherubim, seu præsidet Spiritibus Angelicis; moveatur licet, & turbetur terra.

Altero sensu indicatur dilatatio Regni Christi, facta post Ascensionem per Apostolos, quantumvis invitatis, & repugnantiibus Idololatriis.

v. 2. Dominus in Sion magnus, & excelsus super omnes populos.

Ideo frustra irascuntur, quia Dominus, in Sion regnans, excellit omnes magnitudine, potentia, sapientia, ut nullo modo superari possit. Idem est de Christo regnante in Ecclesiâ cum militante, cum triumphante.

v. 3. Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile, & sanctum est, & honor Regis iudicium diligit.

Utroque sensu hortatur populos, ut non solum non irascantur contra Deum, sed potius laudent eum, quia nomen sive Dei, sive Christi, quæ Regis potentissimi terribile est, & quæ justissimi sanctum, ac venerabile. Et honor Ec.

nam Regia dignitas, vel sanctitas, vel autho-
ritas id propriè requirit, ut amore justitiae rectè
judicet, non coactus timore, necessitate,
passione.

¶. 4. Tu parasti directiones, justitiam, & ju-
dicium in Jacob tu fecisti.

Jam illud, *Honor Regis Ec.* probat per Apo-
strophem ad I. eum, sive Christum. Verè tu dili-
gis justitiam, nam leges rectissimas, & ad diri-
gendos mores apostolicas tulisti, & justitiam te
diligere demonstrasti in populo tuo Jacob pu-
niendo peccata, & benefacta remunerando.
Idem contingit in novo testamento.

¶. 5. Exaltate Dominum Deum nostrum,
& adorare scabellum pedum ejus, quoniam san-
ctum est.

Ex dictis colligit, adorandum esse Deum,
non solum in se ipso, sed etiam in arcâ fœderis,
quæ scabellum erat pedum ejus 1. Paralip. 28.
Exaltate Ec. corde, & voce laudando, & mag-
nificando majestatem ejus, prosternite vos ad
arcam fœderis, quia sancta est, seu Deo dicata.
Altero sensu indicat, humanitatem Christi, quæ
est scabellum divinitatis, esse adorandam.

¶. 6. Moyses, & Aaron in Sacerdotio ejus,
& Samuel inter eos, qui invocant nomen ejus.

Exemplum ponit, quod imitemur, & nomi-
nat

nat tres Principes viros, qui Dominum exaltaverunt, & adorarunt scabellum pedum eius, Moylen summum Principem politicum, & summum Sacerdotem; Aaronem summum Sacerdotem tantum; Samuelem, quem non numerat in Sacerdotibus, sed Levitis, sive iis, qui studiosè Deum colebant, & invocabant pri-
le, & populo.

¶. 7. *Invocabant Dominum, & ipse exaudi-
dibat eos, in columnā nubis loquebatur ad eos.*

Ostendit viros istos fuisse amicos Dei; nam invocabant Dominum pro se, & populo, & ipse ut amicos fideles exaudiebat eos. Cùm nul-
quam legatur, Deum ad Samuelem locutum
in columnā nubis, vel sensus erit; in columnā
nubis loquebatur ad aliquos eorum; vel cum S.
Aug. per columnam nubis intellige obscuram
locutionem; hoc modo certum est, Deum fu-
isse locutum Samueli 1. Reg. 3.

¶. 8. *Custodiebant testimonia ejus, & pra-
ceptum, quod dedit illis.*

Ratio, cur Deus illos promptè audiret: nam
custodiebant omnia mandata, quæ communia-
erat e omnibus, de non colendis Idolis, de san-
ctificando Sabbato, de parentibus honoran-
dis &c. Præterea custodiebant præceptum de re-
gno regimine, quod proptè ad ipsos, ut Pri-
cipes populi pertinebat. L. 5. ¶. 9.

¶. 9. Domine Deus noster tu exaudiebas eos:
Deus tu propitius fuiſtieſt, & ulciscens in omnes
ad invenſiones eorum.

Simplicior expositio eſt haec S. Aug: Exau-
diebas eos, cum iusta peterent: propitius fuiſti
facilis ad ignoscendum, cum in te peccarent,
non ſinens in punita peccata eorum.

¶. 10. Exaltate Dominum Deum nostrum.
Adorare in monte sancto ejus: quoniam san-
ctus Dominus Deus noster.

Concludit, repetendo ferè ¶. 5., quia in eo
contineatur ſumma totius Psalmi. Sensu priori
hortatur David Hebreos, ut adorent Domi-
num in monte Sion, ubi erat tabernaculum, &
ubi futurum erat templum. Sensu altero hor-
tatur Christianos, ut adorent Deum in Ecclesiâ
Catholicâ, quæ monte eſt sanctus, & Sion spi-
ritualis, & fugiant conveſticula Schismatico-
rum, & Hæreticorum, quoniam sanctus eſt Do-
minus Deus noster, & ideo odiſt montes, ſeu co-
etus falſis religionibus pollutos.

PSALMUS XCIX.

Titulus: Psalmus in confessione.

Huic titulo Hebraico Græci addunt na-
men Davidis.

Argumentum eſt hortatio populi, ut frequen-
ter & diligenter Deo conſiteantur confeſſionem
laudis, quia nos condidit, paſcit, dulcissima eſt
eius

ejus commemoratione, & perpetua erga nos misericordia & fidelitas.

¶. 1. *Jubilate Deo omnis terra: servite dominum in latitia.*

Omnes, qui Deum verum colitis, ubique
que sitis in universâ terrâ, Deum laudate: ser-
vite ei obediendo, non coacte, sed spontaneè,
non cum amaritudine, ut mancipia, sed cum
lætitia, ut liberti: & summa legis Dei dilectio
est, & dilectione nihil dulcius.

¶. 2. *Introite in conspectu ejus in exultatione.*

Deus quidem ubique laudandus, sed præ-
cipue in templis; unde monet: *Introite in do-
mum Dei, ubi peculiari modo conspiciatis
Deum, & conspicit vos Deus: sed introite in
exultatione cordis, animo erecto, & inflam-
mato, ut Deus vos præ desiderio sui exultantes
videat.*

¶. 3. *Scitote, quoniam Dominus ipse est
Deus, ipse fecit nos, & non ipsi nos.*

Ad excitandam devotionem, in templo re-
quisitam, juvat consideratio magnitudinis Dei,
& beneficiorum ejus. Dum ad Deum orandum,
& laudandum acceditis, attente considerate,
quod ipse sit verus Deus, quo nihil majus, vel
melius cogitari potest: & quod ipse sit, cui vi-
tam, & totum, quod estis, debetis. Licet
parentes gignant filios, prima tamen canta, sine
qua

quâ parentes nihil efficent, Deus est. Vide 2.
Machab. 7.

V. 4. *Populus ejus, & oves pascuae ejus, introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis confitemini illi.*

Refert alterum beneficium: *Populus*, quem Deus peculiari providentiâ regit, & quos veluti rationales oves in pascuis suis doctrinæ pabulo reficit, & corporalibus etiam alimentis pascit, *introite portas tabernaculi ejus in confessione laudis, & atria ejus in hymnis, & sic confitemini illi, vos omnia ei debere, ac de manu ejus bona omnia suscepisse.*

V. 5. *Laudate nomen ejus, quoniam suavis est Dominus, in eternum misericordia ejus, & usque in generationem, & generationem veritatis ejus.*

Addit tres proprietates Dei, quasi tres rationes, cur dignus sit, ut ab omnibus laudetur. Quia suavis est, nam facile miseretur, & quia miseretur, promittit liberationem; & quia verax, implet promissa.

PSALMUS C.

Titulus: *Ipsi David Psalmus.*

Argumentum Psalmi est: David explicat exemplo suo qualis debeat esse bonus Princeps cum erga familiares, & privatam suam dominum; cum erga Rem publicam.

Quod

Quod David narret bona opera sua, non vicio, vel arrogancia tribui debet: vera enim dicit coram Deo, & ad finem bonum, nempe ad informandos successores, ac potissimum filium suum: unde narratio hac superba non est; imo v. 1. ostendit honorum operum suorum causam effici entem fuisse tum misericordiam Dei, cuius dona sunt opera nostra bona, tum Judicium Dei, cuius timore adductus justitiae coluit.

v. 1. Misericordiam, & judicium cantabo tibi Domine.

Hæc est præfatio totius Psalmi; cuius ratio prima est, ut omnes sciant, beneficia Davidis esse dona misericordiæ Dei, coronanda postea per justum judicium Dei: secunda ut Reges Deum imitentur, sunt misericordes, & justi: tertia ut omnes homines sperent de misericor diâ Dei, sed sine præsumptione timent Deum, sed sine desperatione.

v. 2. Psallam, & intelligam in via imma culata, quando venies ad me.

Non solum voce cantabo misericordiam, & judicium Dei, sed etiam manu psalterium pul sabo, & attente considerabo viam immacula tam, ut ambulem per eam: id autem faciam non viribus meis, sed ope gratiæ tuæ, quando venies ad me, ut me illumines, doceas, accen das, & moveas.

¶. 3. Perambulabam in innocentia cordis
mei, in medio domus mea.

Incipit narrare mores suos laudabiles, ut
cum successores, tum subditi imitentur. Per-
ambulabam viam hujus vitae, seu vivebam,
conservans imprimis innocentiam cordis, appe-
tendo solum bona, & praecavendo malas co-
gitationes, & desideria, ut nemo domini meae me
reprehendere posset.

¶. 4. Non proponebam ante oculos meos rem
injustam: facientes prævaricationes odivi.

Dixit de innocentia cordis, nunc addit de
innocentia oculorum, & manuum. Averte-
bam oculos tum mentis, tum corporis ab omni
injustitia, sive in iudicando subditos; sive in di-
atribuendis honoribus, & præmiis; sive in com-
mutationibus, & contractibus: & etiam odio
habui omnes, qui legum prævaricationes fa-
ciebant; ac per hoc ipsam prævaricationem
maxime sum detestatus.

¶. 5. Non adhæsit mihi cor pravum, decli-
natum a me malignum non cognoscebam.

Docuit, qualis esset apud se; jam docet, qua-
lis esset apud alios. Perversi homines non an-
debant se mihi adjungere: & si declinaret a me
malignus, non cognoscebam, non laborabam,
ut rediret ad amicitiam meam.

¶. 6. Deceperent me secretè proximo suo
bunc persequebar. Alia

Alia virtus planè Regia hic aperitur. Eum, qui falsi criminis accusabat proximum suum, & secretò apud me detrahebat de fama ejus, cum non modò non audiebam, sed graviter persequebat, & puniebam.

¶. 7. Superbo oculo, & insatiabili corde, cum loc non edebam.

Alia virtus: non convescebat quasi domestico, & familiari, qui oculis, vel superciliis elatis superbiani ostendit; neque illi, cuius cupiditas nullis opibus satiatur. Nihil populo tristius, quam si Ministri Regum superbi sint, aut avari: hi abutuntur publicâ potestate ad exemplandas cupiditates proprias, non sine magno detrimento subditorum.

¶. 8. Oculi mei ad fideles terra, ut sedeant mecum: ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.

Explosis detractoribus, superbis, & avaris, ostendit, quos familiares, & Ministros elegerit. Ad fidèles, quierant in terrâ, sive ad eos, quos tales noveram, benignè respiciebam, eosque eligebam, ut federent mecum in mensâ, velut domestici, & familiares. Et si quis erat in civitate, vel Regno meo non solum fidelis, sed etiam immaculatis moribus vitam dicens, hic mihi præcipuus Minister erat.

¶. 9. Non habebat in medio domus mea

986


qui facit superbiā: qui loquitur iniquā, non direxit in conspectu oculorum meorum.

Suprà detestatus est superbos oculo, & secretò detrahentes proximo suo; jam superbos manibus, seu eos detestatur, qui superbè alios optimunt, & loquentes mendacia ad fallendos quoscumque homines. Ejusmodi dicit non habitaturum Ec., seu non futurum inter intimos familiares suos. Non direxit Ec. non prosperatus est coram me, quia non invenit gratiam coram oculis meis.

*. 10. In matutino interficiebam omnes peccatores terre, ut disperderem de civitate Domini omnes operantes iniquitatem.

Concludit Psalmum, demonstrans zelum suum in purganda civitate Domini, in qua purgatione faciebat misericordiam, liberando bonos cives ab oppressionibus, & scandalis iniquorum: & iudicium, malos meritis peccatis afficiendo. In matutino, mature, celeriter, atque mala radicarentur, interficiebam Ec. eos, qui morte digni erant, & quibus vita concedi non poterat sine periculo innocentium. Id autem faciebam, ut disperderem Ec., ut civitati sanctæ, & pacificæ pacem suam, & tranquillitatem restituerem, exturbatis inde omnibus perturbatoribus.

F I N I S.



BELARMI
PSALMOS

Th
3172